IGNIS
FATUUS EXTINCTUS,

SIVE

CHARITAS ORDINATA.

Operâ

CAMPIANI FLORI

THEOLOGI.

Reſponde Stulto juxtà ſtultitiam ſuam, nè ſibi Sapiens eſſe videatur. Prov. 26.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis Egmontianis. 1679.

PRÆFATIO
AD AUTHOREM IGNIS FATUI.

IGnem accendiſti verè fatuum, & libellus tuus (a) *ſecundum nomen ſtultus eſt*: nec ſolum talis eſt nomine-tenus, ſed doctrina, quam continet verè fatua eſt, cum (b) *doctrina ſtultorum fatuitas ſit, & ſtultus fatua loquetur*. Charitatem oppugnas ordinatam, dum inordinatam adſtruis, & ignem verè fatuum inflammas, dum verum charitatis ignem extinguis. Hunc fatuum ignem, in viſcoſa genij tui palude ortum ut extinguam, admones opportune bacillos eſſe erigendos: Eoſdem ergo erigam, & charitatis ordinem & puritatem à te oppugnatam, S. Scripturæ & SS. PP. Teſtimonijs defendam, & verum ignem in caliginoſa tua nocte accendam. Cum enim ſapientiâ teſte, (c) *ſtultus in tenebris ambulet*, vero lucernæ igne illuminari oportet, nè offendat alibi, aut fatui ignis ductu deceptus, in foveam cadat. Si oculos tuos veritati aperis, forte illuminaberis, niſi animo præoccupato (quem abundè manifeſtas) agnitam veritatem oppugnare pergas, quo caſu, nihil tibi lumen proderit, nihil enim noctuæ ſupercilia & candelæ. Attende tamen, quia breviter rem totam perſtringam, quam tu leviter tangere & impugnare attentaſti, me-

(a) 1. Reg. 25. (b) Prov. 18 Iſaiæ. 32. (c) Eccl. 2.

mor illius ſapientis moniti, (a) *Cum ſtulto nè multum loquaris.* Valeto.

IGNIS FATUUS
EXTINCTUS,
Sive Charitas ordinata.

ORdinatiſsima quæque à ſummo rerum omnium Opifice, facta eſſe, profitentur omnes, qui Deum recognoſcunt: vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Idem pleniore jure ſtatuendum eſt de præcipua virtute, charitatem dico, cum qua creaturas nobiliſſimas, Angelos & protoparentes in ſua creatione ditavit, quæ hominem Deo conjungit & convertere ſatigit. Hanc igitur in ſponſa ſua ordinavit æternus ſponſus, non inſcius, nihil eſſe adeo rectum & ordinatum, quin pravo ordine poſſit aliquando perverti. Quem ordinem à Deo ordinatum, tum ipſa naturæ lex cuilibet præſcribit, tum præcipuè S. Auguſtinus Charitatis præco & vindex acerrimus probè explanat & proponit, adeo ut tractatu 8 in Joannem aliquando dixerit, *quod nihil melius agere poſſit lingua noſtra, quam ſemper de dilectione loqui.* Ordiem ergo charitatis ex hoc S. Doctore articulatim opponemus.

Articulus 1.

(a) Eccl. 22.

ARTICULUS I.

An homo debeat in ſtatu naturæ corruptæ ſemper Deum diligere.

QUam arcta ſit charitatis obligatio, utroque teſtamento divina firmavit authoritas, cum teſte S. Auguſtino nihil aliud Scriptura præcipiat, niſi charitatem: Hinc in V. L. Præceptum dilectionis ex toto corde, tota anima (a) &c. Jubetur narrari filijs ſuis, in eo ambulare, ligari in manu, moveri ante oculos, ſcribi in limine domus &c. Arctior tamen in L. N; in lege gratiæ & amoris data eſt obligatio charitatis, tamquam illius virtutis, quæ diſcipulis novæ legis ſit ſingularis, undè vocatur charitatis mandatum alibi (b) *Novum, mandatum Chriſti, primum ac maximum in lege, lex regalis, plenitudo legis* &c.

Obligationẽ hanc Charitatis ipſa naturæ lex imponit & urget: Si enim vel ſolâ naturæ lege obligemur diligere genitores noſtros, ut principia noſtri eſſe: potiori certè iure eadem lex nos obligat, ad diligendum Deum, à quo totum eſt, quod ſumus, à quo potior noſtri pars, puta animam, profecta eſt, hâc ratione rogante Propheta deut: 32. *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & creavit te?* adde, Deum eſſe ſummum bonum,

 ad quod

(a) Deuttron. 6. (b) Joan. 15. Math. 22. Jacobi. 2.

ad quod amandum lex naturæ omnes inclinat.

Porro, quiſnam ſit ſenſus primi ac maximi in lege mandati, non ita conveniunt Doctores Chriſtiani: omnes in eo concordant, Deum, utpote ſummum bonum, ſuper omnia diligibilia eſſe diligendum. Alij volunt omnes animæ vires in dilectione Dei debere occupari. Alij docent affectum totum ita Deo dandum eſſe, ut non detur ulli rei, quæ Deo contrariatur, puta peccato. Alij ſentiunt, quod præcipua hominis cogitatio & intentio verſetur circà Deum, qualiter vulgo dicitur homo eſſe totus in ſtudijs, negotiatione &c, eo quod potiſſima ejus intentio ſit ſapientiæ, lucro &c. Alij denique cum S. Auguſtino docent, hoc dilectionis mandato ſignificari, omnem actionem per amorem ad Deum ut ultimum finem eſſe dirigendam, nunquam ultimato in creatura hærendo.

Hanc interpretationem, quam in S. Auguſtino & alijs SS. PP. Fundatam monſtrabimus, ut exoticam, impoſſibilem, naturæ noſtræ conditionem excedentem divendit author Ignis Fatui; alij breviſſimam docent ſternere ad inſaniam viam, alij aliter cenſurant, qui iterùm ducuntur ſpiritu ſervitutis in timore.

In primis ergo, quod omnis noſtra actio per amorem tendere debeat ad Deum ut finem ultimum, declarat Apoſtolus 1. cor. 10. dicens. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud*

quid

quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et rurſùm ad col. 3. *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. Ieſu Chriſti facite.* Quæ verba de vero præcepto intelligenda eſſe probabimus articulo ſpeciali. Subſequitur S. P. Auguſt: Locis propemodum innumeris, & ſignanter l. 4. contra Iul. c. 3. ubi ait: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſt.* Et l. 2. de lib. arb. c. 17. *Quidquid laudabile advertitur in rerum natura, ad laudem referendum eſt creatoris.* Et tract. 2. in Epiſt Ioan: *Non te prohibet Deus diligere creaturas, ſed non diligere ad beatitudinem, ſed ad hoc probare & laudare, ut ames creatorem.* Idem docet locis alijs quam plurimis, de quibus in ſequentibus. Auguſtino conſentiunt alij Eccleſiæ Patres & Doctores, ut S. Chryſoſtomus hom. 25. in priorem ad corinthios. Gregorius 4. regiſt: c. 6. Ambroſius, Hieronimus, Bernardus & alij pene innumeri. Imo huic dogmati conſentiunt plures cujuſcumque religioſæ familiæ ſcriptores.

De familia S. P. Auguſtini, nemo ambigit, quàm ſint hujus paternæ doctrinæ obſervantiſſimi. de Franciſcana teſtatur S. Bonaventura quid hic ſit ſentiendum, dùm ait in 3. diſt. 23. a. 1. q. 1. *Hoc ſolum fit rectâ intentione, quod fit ad honorem & gloriam Dei: ſine*

 vero

vero recta intentione nullus actus virtutis rectè incedit. Subſequitur Iacobus Marchant tract. 1. tribun. tit. 2. q. 2. §. 4. ubi apertè ex S. Auguſtino oſtendit peccatum eſſe, quod non tendit ad Deum tamquam ultimum finem. Conſentit & Bernardinus de Buſto p. 2. ſerm. 5. p. 3. Ubi ex Apoſtolo 1. cor. 10. Præceptum adſtruit, *ut omnes operationes bonas propter Deum facias.* Clariſſime idem ſentit Ioannes de la Haye in ſuis biblijs in 1. cor. 10. qui pro eâdem ſententiâ citat Nicolaum de Lyra. Idem affirmat P. Georgius Ambianas, diſertiſſime idem docens in c. 10. prioris ad corinthios. De ſchola S. Franciſci de Pænitentia, Franciſci de Paula, ſatis luculentum hic habet belgium teſtimonium de quibus poſtea.

De doctrina Doctoris Angelici quis dubitet? ait enim expreſſè lect: 2. in c. 16. prioris ad corinth. *Omnia debent referri ad finem charitatis, ſcilicet ut fiant propter Deum.* Item 2. 2. q. 83. a. 4. in corp. *Omnia debemus in gloriam Dei facere.* Et ſuperius q. 69. a. 1. in argum. Sed contra: *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet 1. ad Corinth. 10.* Idem docet ex eadem familia Ambroſ. Catharinus, in c. 3. ad coloſ. Ludovicus Granat: ſer. 6. poſt dies Cinerum conc. 2. §. 3. Ioannes Thaulerus Domin: 2. adventus. Thomas de Trugillo in feſto S. Vincentij, & noviſſimê Ludovicus Bertha in ſuo medico Chriſtiano

p. 2.

p. 2. tract. 4. c. 3. ubi docet, quomodo omnia purè propter Deum ſint facienda. Finem impoſuit ex eadem familia P. Contenſon tract. de gratia diſſert: 2. cap. 1. ubi expreſſè docet dictam à nobis ſententiam, & addit: *Sanè non credebam de hocce dilectionis divinæ præcepto diſputatum iri umquam apud gentiles.... non credebam inventum umquam iri theologos, magnum illud præceptum ſubtilitatibus inconditis ad nihilum redacturos: præceptum inquam, quod ſi ſcripturarum omnium compendium, prophetarum votum, Evangelij ſummam, Chriſtianiſmi animam, perfectionis regulam, &c. dixeris, à veritate non aberrabis. Et poſt pauca: Certè facilius & tollerabilius eſt negare Deum, quam illo ſemel agnito, omnia offerri non debere affirmare.* De mente vero doctoris ſui Angelici ita habet laudatus author dicto tract: *Ergo maniſeſtè imo inſulſè & craſſè mentiuntur, qui dicunt S. Thomam eius fuiſſe ſententiæ, habitum charitatis, non actum præcipi; nullus enim umquam Theologiæ moralis error fuit vel eſſe poteſt, qui capitalius S. Doctori adverſetur.*

Ex Societate Theologi quid hìc ſentiant videamus: certè priores illius communitatis Theologi, præceptum illud adſtruere ſemper conati ſunt, quibus commune & gentilitium dictum, *ad maiorem Dei gloriam*: ſi qui ſapientes ſint, prædeceſſorum veſtigijs inſiſtunt: *Sapientes enim confitentur, & non abſcondunt*

patres ſuos: Iob. c. 15. quin imo fundamentum hujus poſuit S. P. Ignatius in ſuis exercitijs, ubi in initio libelli docet creaturis eſſe utendum, quatenus ad conſecutionem finis ultimi conferunt, & in ſuis conſtitutionibus admonet, ut omnes habeant in ſuis actibus rectam intentionem placendi Deo propter ſe ipſum. Dum rurſum in reg. obſerv: in diſt: elemoſyn. docet amorem Dei debere eſſe radicem & cauſam affectionis erga cognatos &c. Patrem ſuum ſequitur è primis ex eadem ſocietate theologis Salmeron in epiſt. 1. ad cor. c. 10. item ad coloſ. 3. Labat. quoq; *V. amor Dei* propoſ. 23. Caniſius in ſuo Catheciſmo de præcepto charitatis: Drexelius in ſuo Tobia p. 2. c. 2. §. 2. & initio §. ſequentis, ubi concludit: *Itaque omnia in gloriam Dei facienda: Hoc unum ſemper & oculis & animo ſit affixum.* Concordat P. Iacobus Alvarez de Paz l. 2. p. 1. c. 7. P. Thomas Maſſutius de cæleſti converſatione l. 7. c. 3. §. 3. Bernardinus Roſignolius de act. virt. lib. 1. cap. 3. Ioan. Bourgeſius de chriſtiana humilit: l. 1. c. XI. Nierembergius vitæ div. c. 29. Iacobus Lobbetius quæſt: theol. in evang. q. 7. fol 122. quorum dicta jure merito, non ut particularia, ſed ut univerſalis Societatis dicta recenſeo, cum juxta Conſtitut. Societatis p. 3. c. 1. numero 18. *Libri edi non poterunt in lucem ſine approbatione atque Conſenſu Præpoſiti generalis, qui eorum ex*

aminationem

aminationem ſaltem tribus committat, ſana doctrina & claro judicio in ea facultate præditis.

Dicta doctrina tot teſtimonijs ſuffultâ ex ratione quoque facilè declaratur. Deus enim eſt alpha & omega, principium & finis ex quo conſequitur, quòd ſicut à Deo ut principio omnia proveniunt, ita omnia ad eundem ut ultimum finem ſint dirigenda. Deindè planè perverſum eſt ex mente S. Auguſtini frui creaturis, id eſt amore inhærere alicui creaturæ propter ſe ipſam, cum ſolis æternis atque incommutabilibus ſit fruendum, cæteris utendum. Denique quilibet in ſuis actibus tenetur habere oculum lucidum, id eſt intentionem bonam, ſola verò illa eſt talis, quæ ſemper habet oculos ad Dominum, ut ait Sanctus Auguſt.

Remitto cetera teſtimonia datæ doctrinæ, quæ ſuppeditant Cathecïſmus Rom. c. 10. p. 4. Ioannes Gropperus de doct. Chriſt. de pec. act. c. 6. Benedictus Haften. venat: ſacræ. l. 3. c. 16. Card. Bona & alij innumeri, quorum teſtimonijs firmare hanc ſententiam libuit, ut verbis Eximij. D. Sinnichij utar l. 1. c. 144. Saulis, *quod non deſint hodie, quidam inter novellos laxitatum præcones, qui non contenti eam deſerere, etiam cenſorijs ſtigmatibus inurunt:* Videant tamen nè ſtigmata illa Patribus ſuis ac magiſtris inurant, uti mox oſtendimus.

Articulus 2.

ARTICULUS II.

Oſtenditur eſſe præceptum Apoſtoli, omnia opera in Dei gloriam referendi.

MIratur author Ignis Fatui fol. 33. qua fronte præſumpſerint pervertere conſilium Apoſtoli in præceptum: miror ego, qua fronte præceptum illud pervertere præſumpſerit in conſilium: non ſolum hoc aliqui, ſed cujuſque Religionis magiſtri, cum S. Auguſtino, S. Thoma & alijs rectiſſime docent. In primis S. Auguſt: l. de grat: & corrept: c. 3. dicit: *Apoſtolus præcipit, ut habeatur charitas.* Idem expreſſe docet S. Chryſoſt. hom: 25 ante citata. S. Ambroſ. ſerm: ſuper verba Malachiæ, ubi ait: *Qui Chriſtianus eſt, ſemper debet Patri ſuo ac domino laudes dicere, & omnia in ejus gloriam procurare, ſicut ait B. Apoſtolus dicens, ſive manducatis &c.* Et inferius: *In hoc nomine* (Chriſti) *omnes actus noſtri ſunt dirigendi, & ad ipſum totius vitæ noſtræ commotio eſt referenda, quia ſicut ait Apoſtolus, in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Idem de præcepto Apoſtoli docet S. Hieron. epiſt ad Theſipontem.

Clariſſime hoc teſtatur Doctor Angelicus loco & articulo præcedenti allato, cui hoc addit in c. 3. ad coloſ. lect. 3. allegans illud Apoſtoli, *omne quodcumque facitis in verbo aut in*

opere,

opere omnia in nomine D. N. Ieſu Chriſti facite: Ita ſubdit. *Quidam dicunt quod hoc ſit conſilium, ſed hoc non eſt verum.* Subſequitur Ambr. Catharinus in illud 1. cor. 10. *Sive manducatis* &c. ubi ait: *Hoc eſt præceptum, quod ſervari debet ab omnibus, & in omnibus, ut ſaltem virtualiter habeat quis in animo, ſe velle in gloriam Dei facere, quæcumque facit.*

Concordant alij ex familia S. Franciſci, & in primis Ioan. de la Haye in 1. cor. 10. ubi ait: *alij fatentur quidem Apoſtoli ſenſum eſſe generalem, ſed dicunt eum huiuſmodi verbis non præcipere, verum hortari tantum fideles & ſuadere, ut omnes actiones noſtras ad Dei gloriam referamus: ideoque non continuò peccare hominem ſiue infidelem, ſive fidelem, ſi quas ſuas actiones alioqui bonas in Deum non referat, ſed hic commentarius aberrat à ſcopo* Pauli. Sequitur Dictus Georgius Ambianas in eundem locum ubi ait: *Et hoc dico in præcepto apoſtolico: imo tria inde elicienda cenſeo: primum eſt, præceptum eſſe nedum conſilium:* Secundum, in minimis etiam habere locum, nedum in maximis. Tertium rem difficilem eſſe quidem, non tamen impoſſibilem.

Conſentiunt ſcriptores Societatis: Salmeron in coloſ. c. 3. *Omne quodcumque facitis* &c. *Præceptum, ait, generale eſt omnibus fidem Evangelicam ſuſcipientibus datum, ita ut ſi ſecus fecerint, à mandato declinent.* Idem tradit Labat

alio articulo citatus, & Drexelius, qui ibidem ait: *Quod ſi actio vel bona vel certè ſi adiaphora, ea omnis plane in unius numinis gloriam eſt reducenda. Ita divinus Paulus præcipit: ſive manducatis &c. Paulinam hanc præceptionem eximiè Bernardus explicans &c.*

Audi Loſignolium loco citato præcedenti articulo. *Præcipit enim Apoſtolus, ſive manducatis &c. Et omne quodcumque facitis in verbo aut in opere: Omnia in nomine D. N. Ieſu Chriſti facite: Gratias agentes Deo & patri per ipſum, de eodem Patres omnes una & mente & voce conſentiunt, &c.*

Poſito ergo, dicto præcepto Apoſtolico, quærunt aliqui quale ſit illud præceptum. Poſitivum divinum illud eſſe ſtatuunt quam plurimi, adeò ut ſolos fideles præceptum illud obliget. Verum naturale illud eſſe demonſtrat Auguſtinus, etiam Infideles obligans, cum c. 3. l. 4. cont. Iulianum aperte doceat Romanos fuiſſe ex eo culpabiles, quod homines ſine fide non ad iſtum finem (Deum) illa opera retulerint, ad quem referre debuerunt. Et S. Bernardus tract. de diligendo Deum c. 2. *Inexcuſabilis eſt*, ait, *omnis etiam infidelis, ſi non diligat Dominum Deum ex toto corde tota anima & tota virtute ſua: clamat nempè intus ei innata & non ignota rationi juſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debet, cui ſe totum debere non ignorat.*

Ex

Ex quibus rurſum patet, dictum præceptum obligare ad ſemper, utpote naturale. Nè tamen hic quiſquam obganniat uti facit author ignis fatui fol 27. Præceptum illud eſſe affirmativum, quod unanimi Theologorum conſenſu obligat ſemper, ſed non ad ſemper. Hoc enim commune dictum, cùm hac moderatione ſolum locum habet, quando præcepto illi ſimul non advertitur modus, quo ad ſemper obligat; uti fit in dilectionis mandato dum enim dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, idem eſt ac ſi diceretur *ſemper Deum diliges*: Confirmat illud S. Auguſt. l. 1. de doctrina Chriſt: c. 22. dum ita loquitur: *Hac eſt enim regula divinitus conſtituta, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum in illum conferas, ex quo habes ea ipſa quæ confers. Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut aliâ re. frui velit, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illùc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Egregium vero commentarium huic loco annectit author ignis fatui fol. 31. quaſi hic diceret S. Eccleſiæ Doctor, nulla re licere frui, ut ſummo bono & beatifico, niſi Deo cùm ſatis ſuperque conſtet ex eodem S. Patre, frui eſſe aliud, quam inhærere

hærere rei ut ſummo bono beatifico; frui enim ex ejus mente, eſt inhærere rei propter ſe ipſam, non dirigendo amorem ejus, ad amorem ſummi boni, quo ſolum fruendum eſſe, declarat ſæpè ſæpiùs S. Doctor Prædictam tamen ſententiam dat S. Auguſt: expoſit: 7. in Ioannem, ubi docet charitatem rem eſſe, quæ numquam à corde debeat recedere: idem docet ipſe idem, vel ſi ſit alius quiſpiam in ſoliloquijs in Auguſtino iuxta DD. Lovanienſes verſatiſſimus, dicens omni hora & momento Deum eſſe diligendum, ſicut nullum currit momentum, quo eius non gaudemus beneficio. Hiſce omnibus addi poteſt, dictum dilectionis mandatum, eſſe quidem quoad apparentiam affirmativum, reipſa tamen eſſe negativum, adeo ut huic æquivaleat: *Non ſiſtes ultimatè in creatura*, ſive, *non facies ullum opus deliberatum, quin illud ipſum referes ad gloriam Dei*: negativa autem præcepta ſemper obligant & ad ſemper.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Poſſibile ſit omnia opera referre in Gloriam Dei.

SUppoſito & comprobato dilectionis ejuſmodi mandato, ſequitur ejuſdem poſſibilitas: Deus enim inpoſſibilia non iubet, neque lex qualiſcumque, qualia iuxtà datam doctrinam

doctrinam iuberi occlamat præfatus Author fol. 10. qui uti ſectarij mandatum de diligendo Deo ex toto corde, tota anima impoſsibile in hac vita ſtatuunt, ita & ille mandati huius genuinum ſenſum â nobis datum & confirmatum explodit. Ut tamen pleniùs conſtet, quouſque mandatum illud Apoſtoli, omnia in Dei gloriam referendi, etiam in hoc miſeriæ & diſtractionis ſtatu ſit ſervatu poſſibile, notandum eſt, quod ait D. Thomas q. de Charitate art: 11. ad 2. quæſt: diſp: his verbis: *Dicendum, quod omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita, ſicut nec eſt posſibile, quod ſemper de Deo cogitetur*: ubi tamen docet eſſe mandatum omnia referre virtualiter in Deum, quo modo concludit: *Hoc modo Apoſtolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.* Verum ergo eſt, quod omnia actualiter in Deum referre, ſit in hoc miſeriæ ſtatu impoſſibile, & reſervari in patriâ; omnia tamen virtualiter in eumdem referre omninò poſsibile eſt, imo & præceptum. Rectè modum eiuſmodi relationis dat antè laudatus Georgius Ambianas 1. Cor. 10. ubi ait: *Res quidem difficilis, non tamen impoſſibilis, imò tam facilis attendenti, quam & volenti utilis ..... opus namque directum in Deum jam de ſe in ipſum tendit, ut emiſſa in ſcopum ſagitta: nec exigit ut repetatur directio, ſed ſufficit ſi non abrumpatur intentio.* Et rurſùm: *Sicut rota ictu movente pulſata,*

 etiam

etiam otiante manu, curſum abſolvit ſuum, ſed quo fortior actus aut impetus validior, eo diutius durat virtus motuſque perſeverat.

Eadem & plura ad rem noſtram dat Ludovicus Bertha Dominicanus, de quo antè: hic confirmatâ doctrinâ noſtrâ, ita proſequitur: *Nè quis verò prædicta nimis reputet difficilia, conſideret architectum, domum vel turrim ædificantem: non enim ſolùm manè & veſperi menſuram reſpicit, ut metiatur nùm rectè procedit opus ſuum, ſed vix lapidem ponit, quin illicò menſuret: quam veraciter dixit veritas, quod filij huius ſæculi prudentiores ſint filijs lucis in generatione ſua?*

Appoſitè quoque Benedictus Haſtenius in Venatione Sacra loco citato, ubi ait: *Hæc porrò operum noſtrorum in Dei gloriam relatio, ſufficit, quod ſit virtualis, & ex aliquâ præcedente actuali directione procedat: quò magis autem huiuſmodi intentio virtute maneat in actionibus noſtris quotidianis, frequenter actu renovanda eſt: quod quidem facimus, dum orationem dominicam frequentamus, in quâ primo loco petimus, quod intentione primum ac perpetuum eſſe debet, ut ſanctificetur, id eſt, glorificetur nomen Dei.*

Ex quibus patet eiuſmodi relationem virtualem, ſive actualem præteritam virtute tamen permanentem, poſsibilem eſſe, quæ in manibus noſtris, id eſt operibus, velut anima noſtra ſit oporteat; quæ ſit ignis ille charitatis, qui in altari cordis ſemper ardere debet,

Levitici

Levitici 6. Quæ, tametſi actualis intentio ad Deum dormiat, cor tamen vigilare facit, qua denique juxtà Pſalmiſtam oculi noſtri, id eſt intentiones ſemper ad Dominum, & ſursùm corda habere comprobamur.

Pro quorum confirmatione notent illi, qui huic præcepto occlamant, præceptum illud amoris eſſe, adeoque onus leve & jugum ſuave: (a) *Sarcina enim*, ut ait S. Auguſt. *quæ infirmitati gravis eſt, levis efficitur charitati.* Et iterùm: (b) *Non eſt grave dilectionis mandatum aut enim quiſq; non diligit, & ideo grave eſt, aut diligit, & grave eſſe non poteſt.* Hinc ergo fit, ut huius præcepti vias percurramus, cùm charitas Dei dilatat cor noſtrum, cùm iuxta eumdem S. Patrem: (c) *Latitudinem cordis charitas faciat.* Intantum enim huius præcepti difficultatem, nè dicam impoſſibilitatem diluit idem S. Præſul, ut dicere audeat: (c) *Qui amat, non laborat.* Impoſſibilis proindè apparet lex dicta amoris ijs, qui dücuntur ſpiritu ſervitutis in timore, cùm: *Viæ Domini dura ſint timori leves amori*, Ut ait idem Doctor l. de nat. & grat. c. 69.

Verum enimvero, ſit dictum Apoſtoli præceptum attentà infirmitate humana moraliter impoſsibile: quid inde? an ideo tale mandatum erit proſcribendum? certè attentâ fragili-

(a) l. de grat. & lib. arb: c. 17. (b) de nat: & grat. c. 69. (c) l. de unit. eccl. c. 2. (d) tract. 48. in Ioan.

tate humanâ, præceptum non peccandi venialiter eſt moraliter impoſſibile, nec ſinè ſpeciali Dei privilegio ſervari poteſt, uti de Beata Virgine tenet Eccleſia, & conſtat ex Conc: Trid. ſeſ. 6. can. 23. Neque ideo præceptum illud vitandi omnia venialia erit proſcribendum: unde ſicut nullum opus in particulari poni poteſt, quin ſine prævaricatione dicti præcepti fiat, etſi moraliter fieri vix poſſit, quin aliquando illud violemus: ita quoque, etſi attenta naturæ noſtræ corruptione vix fieri poſſit, quin per amorem proprium oculos intentionis noſtræ ad nos reflectamus, non dirigendo eos ulterius ad Deum, ad quem dirigi debent: nullum tamen opus fieri poteſt in particulari, quin ſaltem virtualiter dirigi poſsit in gloriam Creatoris.

Denique, cùm iuxta aliorum ſententiam, ſaltem ſit Conſilium omnia opera referre in Dei gloriam, ſequitur quoque dicti mandati poſsibilitas: non enim magis conſuli poterunt, quæ impoſsibilia ſunt, quam eiuſmodi præcipi: fatuum erit rei impoſsibilis conſilium, fatuum & eiuſdem rei præceptum. Adde, quod omnes illi, quorum teſtimonijs dictum Apoſtoli præceptum comprobavimus, ejuſdem unà poſsibilitatem confirment; leges enim non ſunt, niſi de re poſsibili. Remitto alias Cenſorias plagas ex fatua officina aliquando inuſtas,

quod

quod idem mandatum diſponat & ſit breviſſima ad inſaniam viâ, quod repugnet tridentino, SS. PP. &c. quibus dicta abunde ſufficiant.

ARTICULUS IIII.

Quale peccatum ſit prævaricari dictum Apoſtoli præceptum.

PEccatum mortale illud eſſe autumat author Ignis Fatui fol. 11. dum ait: *Minus quoque diligit, quod diligendum eſt, qui ſalutem proximi periculo æternæ damnationis exponit, novum ubique inordinatæ charitatis artificium in omnibus humanæ converſationis operibus fabricando.* Craſsè erras mi amice: nullus Theologorum mortale illud eſſe aſſeruit, aut aſſerit: Deordinatum & vitioſum cum S. Auguſtino docent, ſiſtere in creatura, non referendo amorem eius ad Creatorem, uti ex antedictis colligere poteris; non tamen mortale peccatum, niſi finem ultimum in illa creatura conſtituant, cui animo ita affixi ſunt, ut mallent Deum mortaliter offendere, quàm ab eius amore recedere: qualis diſpoſitio non ſemper adeſt, dum quis in creaturâ hæret.

Si verò opponant, hærere in creatura eſſe deordinationem gravem, frui creaturâ graviter eſſe inhibitum: quid indè? an ideò deordinatio illa erit mortalis? fatemur in eo deordinationem gravem, ſed venialem, quæ ſit gravis: deordinatio enim, quæ eſt in uno

 veniali,

veniali, gravior eſt eâ, quæ eſt in alio.
Iuvabit tamen hic inquirere, an ipſa actio, quæ non procedit ex amore Dei peccatum ſit, ut varij opponunt, uti & dictus Author. In quo inſulsè & infundatè procedunt, qui ex eo, quod dicitur eum peccare contrà Apoſtoli præceptum, qui amorem creaturæ ad amorem Creatoris non dirigit, infert actionem illam aut amorem illum eſſe peccatum. Opus bonum fieri poteſt non benè, ait Auguſt. neque operire nudum eſt peccatum, ſed in eo opere non gloriari in Domino, ſolus impius negat eſſe peccatum, ait idem S. Præſul Iuliano. En ſimile: Pictor ſervus arte excellens, omnia quæ pingit, debet Domino: pingit picturam artificioſiſsimam, quam tamen Domino dare negligit aut detractat: pictura erit artificioſa & bona, ſed neglectus relationis ad Dominum erit malus & vitioſus. Eodem planê modo, opera omnia homo debet Deo ſuo, ut ultimo fini: negligit opus aliquod referre ad illum finem, neglectus ille culpabilis eſt, & voluntas negligens talem relationem, etſi opus illud ſecundùm ſe ſit bonum, quale v.g. eſt operire nudum.

Quin imò, quomodo actus ille in illum finem non ordinatus peccatum ſit impropriè dictum, declarat Iacobus Marchantius Minorita loco articulo I. allatus; dum ait: *Hoc ſenſu intelligendus venit* D. Auguſtinus, *ſi quando dicit,*

cit, opera infidelium eſſe peccata: per hoc enim nihil aliud ſignificat, quàm opera prædicta continere defectum veri & integri boni: etſi enim multa infidelium opera ſint bona quoad ſubſtantiam actus, ſive in genere moris præcisè: quia tamen intentione debiti finis ad quem ordinantur carent, ex hoc capite defectuoſa ſunt & mala, ac peccata in lata ſignificatione dici poſſunt.

ARTICULUS V.

An poſſit eſſe vera virtus ſine charitate.

Etſi ex hucuſque dictis & confirmatis ſufficienter pateat, peccare contrà Apoſtoli præceptum, qui opus aliquod exercet, abſque eo, quod illud in gloriam Dei referat: ſpeciatim tamen de virtute ipſa quærunt plurimi, an poſſit eſſe vera virtus ſine charitate, per quam relatio requiſita ponitur. Cui quæſtioni, etſi ſatisfactum reor, ex reſponſo D. Auguſtini facto Iuliano roganti, an nudum operire, quod de ſe eſt opus miſericordiæ corporalis, ſit peccatum; ſpeciatim tamen ex mente D. Auguſtini & Doctoris Angelici, queſtioni illi ſatisfiet.

Varij, ut ex D. Aug: conſtat, varios elegerunt fines ultimos, in quorum conſecutione, ſummam beatitudinis collocabant. Alij voluptates corporis, ut Epicuræi, alij moralem honeſtatem & ſuperbiam eligebant, ut Stoici; alij alios fines ſibi proponebant, quibus vir-

tutes ſtatuebant ancillantes. Meminit de hac re D. Aug. l. 5. de civitate Dei c. 20. ubi Stoicos inſectatur, ſubſannientes Epicuræis, quod voluptati tamquam reginæ ſubſervirent: undè & pro titulo, dicto capiti adaptat dicens: *Tam turpiter ſervire virtutes humanæ gloriæ, quam corporis voluptati*... Quo capite enarrat S. Doctor, quomodo Stoici Epicuræos eludentes & irridentes picturâ quadam obiectâ confundebant, quâ voluptatem ut reginam, veſtitu regio circumamictam adumbrabant, regali ſolio inſidentem, cuius obſequio & famulatui cæteræ virtutes circumſtantes depingebantur, ut ancillulæ voluptatis. Quâ picturâ nihil aliud obijciebant Epicuræis Stoici, niſi Epicuræos virtutes omnes ſubijcere ut famulas voluptati ut reginæ, in quâ finem ſuum ultimum collocabant Epicuræi. Irriſores hos Epicuræorum irridet Sanctus Auguſtinus loco citato, ſimilem propemodùm picturam obijciens Stoicis, quâ gloriam humanam pingit ut reginam, & virtutes reliquas reginæ huic famulantes cum uti Epicuræi voluptatem, ita Stoici gloriam humanam eligebant ut reginam, id eſt, ut finem ultimum. Hinc ulteriùs concludit Sanctus Doctor, quod ſicuti vera virtus dici non poſſit, quæ juxtà Epicuræorum morem & regulam inſerviret voluptati, ita quoque vera virtus nominari non poſſet, quæ iuxtà Stoicorum placitum humanæ

humanæ gloriæ famularetur. Quapropter rectè de Stoicis concludit ibidem Sanctus Doctor: *Nec illi* (Stoici) *ſe ab iſta defenderint fœditate, qui cum aliena ſpernant judicia, velut gloria contemptores, ſibi ſapientes videntur, & ſibi placent. Nam eorum virtus, ſi tamen ulla eſt, alio quidem modo humana ſubditur laudi.*

Ex quo ſequitur, quod ſicuti vera virtus non eſt, quæ voluptati inſervit, ita nec vera virtus eſſe poſſit, quæ humanæ intendit laudi. Ut ergò vera ſit virtus, requiritur finis longè ſublimior, qui alius juxta S. Auguſtinum eſſe non poſſit, niſi Dei gloria, ut mox videbimus.

Doctrinam hanc apertè tradit S. Doctor eodem de civitate tractatu l. 19. c. 25. cui titulum inſcribit: *quod non poſſint ibi eſſe veræ virtutes, ubi non eſt vera religio* . ,,. *Quamlibet* ait, *videatur animus corpori, & ratio vitijs laudabiliter imperare: Si tamen Deo animus & ratio ipſa non ſervit, ſicuti ſibi ſerviendum eſſe Deus ipſe præcepit, nullo modo corpori vitijsque rectè imperat: nam qualis corporis atque vitiorum poteſt eſſe mens Domina, veri Dei neſcia, nec eius imperio ſubiugata, ſed vitioſiſſimus dæmonibus corrumpentibus proſtituta? proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius, quàm virtutes. Nam licèt à quibuſdam ea vera & honeſta putentur eſſe virtutes, cùm ad ſe ipſas refe-*

runtur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata ac ſuperba ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt; ſicut enim non eſt à carne, ſed ſupra carnem, quod carnem facit vivere: ſic non eſt ab homine, ſed ſupra hominem, quod hominem facit beatè vivere.,,.

Idem apertius tradit Iulianum oppugnans l. 4. c. 3. *Noveris* ait, *non officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes: officium eſt autem quod faciendum eſt: finis autem, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur...... Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

Frequens indè Auguſtino dictum, *Bonum non fieri bene, non fieri recte, non fieri ſicut oportet, &c.* niſi ad Deum referatur, quod eſt bonum. Audi S. Doctorem l. de gratia & lib. arb. c. 18. *Quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine Charitate, nullo modo fit bene.*

Et iterum de cathecif. rud. c. 11. *Tunc eſt verè opus bonum, cùm à charitate jaculatur agentis intentio, & tamquam ad locum ſuum rediens, rurſùm in charitate requieſcit.*

Idem tradit l. 4. contrà Iulianum c. 3. dicens. *Cùm non ad ſuum referuntur authorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur iniuſti:*

iniuſti : ſi quas habent virtutes , veras non habent.

Uudè & concludit ibidem : *abſit ut virtutes veræ cuiquam ſerviunt , niſi illi, vel propter illum , cui dicimus : Deus virtutum converte nos : proindè virtutes , quæ carnalibus delectationibus , vel quibuſque commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt , veræ prorſus eſſe non poſſunt : quæ autem nulli rei ſervire volunt , nec ipſæ veræ ſunt : veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus , à quo donantur hominibus : Deo ſerviunt & in Angelis , à quo donantur & Angelis.* Ecce manifeſtam Auguſtini doctrinam , quâ docet , veram virtutem eſſe non poſſe , quæ ad Deum non tendit.

Quid autem miri, ſi magiſtri ſententiæ ſubſcribat diſcipulus S. Thomas ? hic enim conſequenter ad ſua principia , pro confirmanda ſententia Apoſtoli ante allata , quæſtioni noſtræ ita reſpondet. 2. 2. q. 23. a. 7. *Sine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus.* Rationem ſubdit : *quia deeſt debita ordinatio ad debitum finem , quæ debet fieri per charitatem.* Et poſteà *non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem; quæ eſt per charitatem , quantumcumque aliquis ſe rectè circà alia habeat.* Idem docet fideliſſimus Aug. diſcipulus S. Proſper in ſentent. ſent. 16. qua dicit. *Omnis infidelium vita, peccatum eſt : & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Vbi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis*

incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus. Undè & carmine de ingratis: *Omne etenim virtutis opus, niſi ſemine vera exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum vertitur.*

Subſcribunt eidem dogmati alij SS. Patres & Doctores. B. Laurent. Iuſtinin. l. cui titulus, *Lignum vitæ* de charitate c. 3. ita ait: *Quis autem alius fructus ſpiritus debuit tenere principatum niſi charitas, ſine qua cætera virtutes, non reputantur eſſe virtutes?*

Idem tradit Richardus Victorinus de ſtatu int. hom. tract. 1. c. 7. ubi ait: *Quod eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus ſine intentione bona. Qualibet ergò actio (quamuis bona videatur) quaſi mortua iudicatur, niſi per conſilium ad intentionem bonam animetur .... quid quaſo per oſſa arida intelligitur, oſſa ſine anima & mortua, niſi fortia opera ſine intentione bona, & ob hoc virtutis merito vacua, mercediſque retributione fruſtrata.* Quod notatum velim pro ſubſequentibus, ubi tradimus, meritum non poſſe eſſe ſine charitate.

Conſentit D. Aelredus ſpeculi charitatis l. 1. c. 1. dum ita loquitur: *Neque enim virtus dicenda eſt, quàm radix iſta charitatis, non protulerit, nec opus perfectum æſtimabitur, quod finis iſte non concluſerit.*

Patet ergò charitate opus eſſe, qua virtutis opus ad Deum dirigatur, ut ſit vera virtus, ut opus bonum benè fiat & ſicut oportet.

Articulus VI.

ARTICULUS VI.

Diſſolvuntur Argumenta in contrarium.

VAria adverſus datam doctrinam congeſſerunt argumenta Adverſarij, quæ tamen unicâ reſponſione faciiè refelluntur, quâ reſpondetur ad quæſtionem quâ quæri poſſet, an ergò ſi quis operetur bonum ob honeſtatem naturalem, ſine concurſu altioris motivi, non exerceat verè bonum, & an talis reverà peccet. Huic quæſtioni antequam reſpondeam, notandum cum D. Auguſtino fieri poſſe etiam in infidelibus, quod exercendo actum de ſe virtuoſum, merè intendant honeſtatem moralem, ſic ut actum illum nullo pravo fine actui illi extrinſeco maculent; v. g. operire nudum, quia hoc naturali rationi convenit. Etſi quoque hoc advertendum, quod etſi hoc etiam in Gentilibus fieri poſſe profitendum ſit, tamen rarò admodum hoc evenire in illis, ſed plerumque alio pravo fine, vel inanis gloriæ vel voluptatis & libidinis, virtutum actus ab illis poſitos maculari. Innuit illud apertè D. Auguſt. de ſpiritu & lit. c.27. ubi agens de bonis infidelium operibus, ita de ijſdem ſubdit: *Si diſcutiantur quo fine fiant* (infidelium opera) *vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.* Quâ ratione S. Doctor ſatis innuit, quod etſi virtutum actus operari potuiſſent infideles ſecundùm ſua offi-

cia

cia, bona, abſque relatione ad finem malum, vix tamen & raró inveniri, quin vel in avaritiæ, vel vanæ gloriæ, aut alium pravum finem intrinſecè eodem voluntatis affectu, aut extrinſecè alio volitum detorquerentur.

Eſto tamen ejuſmodi, ſpectaſſent ſolam naturalem honeſtatem, quæ in illis virtutum officijs conſiderabant: ideone virtuoſè operati ſunt, nec malè egerunt? Contrarium ſane nos docet S. Doctor l. 4. contra Julianum c. 3. ubi aperte aſſerit, non eſſe ſatis, ut quis virtuoſè agat, nec virtutes operando peccet, quod officia virtutum exerceat, quod ſolam honeſtatem moralem attendat; ſed ulterius exigit S Doctor, ut ad Deum referantur tamquam ultimum finem; hinc quærenti ibidem Iuliano, *Eruntnè ergo in damnatione perpetuâ, in quibus erat vera Iuſtitia?* Reſpondit Auguſtinus, omninò eſſe puniendos, (gentiles nempe de quibus procedit Iuliani petitio:) *Nam licet tollerabilius puniantur, quiâ naturaliter quæ legis ſunt utcumq; fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut alijs non facerent, quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius, quam Catalina punietur, non quia ille bonus, ſed quia iſte magis malus.* Veram ergo Iuſtitiam quam affingebat gentilibus Iulianus explodit Auguſtinus, ut ſterilem & infructuoſam, ex eo quod eamdem

ad ſuum

ad ſuum finem debitum non retulerint. Sit proindè officium virtutis bonum, nullo pravo fine maculetur, ſi tamen officium illud ad Deum non referatur, operans bonum ex officio, malè agit defectu relationis debitæ. *Quidquid enim boni ſit ab homine & non propter hoc ſit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non rectè fine peccatum eſt.* Et rurſùm: *cùm facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

Sed nonnè hæc apertè damnata ſunt in Baio, cujus ſequentes articulos proſcripſerunt Pontifices: *Non eſt vera legis obedientia ſine charitate.* Et: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes, ſunt vitia?* R. Ad primum Articulum: quod etſi ex data Auguſtini doctrina ſatis conſtet illum peccare, qui officium virtutis exercet ſine relatione ad Deum, quæ fit per charitatem, etiam obedientiæ, prout inſequentibus declarabo: rectè tamen & iure merito dictum articulum à Pontificibus eſſe proſcriptum iuxta ſenſum Authorum, quem iuxta præſentem tum temporis ſcholæ uſum importabat, & circumſtantes eiuſdem Bullæ articuli deſignant, uti ex articulo 30. 31. 32. 34. 37. 60. 61. 67. & 68. Iuxta quem uſum & ſenſum uſitatum per charitatem intelligitur *Charitas perfecta*, ubi tamen nobis

nobis ſufficit imperfecta Dei propter ſe dilectio, quâ talis relatio ad Deum habeatur. Alias condemnata dicetur hæc Chriſtiſententia. Ioan. 14. *Qui non diligit, ſermones meos non ſervat?*

Quod autem ad alium articulum attinet: ſingulare eſt quod noto in Maldonato in c. 7. Matthæi ita diſſerente ad verſum 18. *Nec enim ſequenda illa opinio eſt, quàm Tridentinum concilium nuper merito damnavit omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera, eſſe peccata: quamvis maximum authorem Divum Auguſtinum & Proſperum habuiſſe videatur: & ex Catholicis aliquando Theologis ſuos habuerit defenſores.* Circà hæc pro defenſione SS. Patris Auguſtini & Proſperi quædam advertenda ſunt. Primùm, quod Concilium Tridentinum damnaverit omnia infideliũ opera eſſe peccata, aperta eſt impoſtura. Damnavit quidem Synod. illa ſeſ. 6. c. 7. ſententiam quæ docet, *omnia opera quæ antè iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare.* De operibus vero infidelium nè quidem meminit, nec hìc, nec alibi: ſi verò opera infidelium confundat cum operibus peccatoris, contrariatur eidem ſynodo, contrarium ſentienti & illa diſtinguenti, dum ibidẽ ait: *ſola infidelitate*, non verò quocumq; peccato mortali, fidem amitti.

Secundùm, quod adverti oportet, eſt illud,

quod

quod calumnioſè affingat S. Auguſtino, aut ſaltem videatur affingere, ſententiam ab Eccleſia condemnatam. Docet enim apertè S. Doctor, peccatores credendo impetrare ac mereri juſtificationem, ut tradit epiſt. 106. Nec ſanè tam excors fuit S. Pater, ut doceret quempiam peccando mereri. Deindè aperte docet, infideles aliquando opera verè bona per Dei gratiam poſſe operari, etſi hoc addat, plerumque talia operantem, vel defectu mali finis adiecti, vel defectu relationis debitæ peccare; Quo ſenſu autem opera illa peccata dicantur antè dixi ex Marchantio.

Rectiſſimè tamen à S. Sede damnatum eſt, omnia opera infidelium eſſe peccata, tum quia falſiſſimum eſt, omnia omnino illorum opera eſſe peccata, etiam indeliberata, quem ſenſum articulus ille innuere videtur, ut ex ſimul condemnatis colligi poteſt, ut ex hoc 48. & 49. Quorum prior ſic ſonat: *prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, non concupiſces.* Poſterior autem hoc modo: *Concupiſcentia ſive lex membrorum & prava eius deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Tum etiam, quia nomine *infidelium* intelligi videntur omnes generatim, qui carent fide Chriſti, etiam ij, qui alioqui habent fidem unius Dei: quem ſenſum condemnati intendiſſe videntur ex illa conproſcripta num. 65. *Infidelitas purè*

negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus peccatum eſt. Ubi infidelitas accipitur (ut apparet) prout præcisè contraponitur fidei in Chriſtum, adeoque hic infideles uſurpare pro omnibus, qui fide Chriſti carent. Poſſunt autem dari opera bona infidelium, eo modo conſideratorum, etſi non iuxta ſenſum quo infidelitas importet omnem omnino fidei defectum, etiam ſub fide comprehendendo pias mentis illuſtrationes, quæ ſæpè per fidem denotantur, vel etiam carentiam fidei in Deum, ſine cuius fide ſaltem inchoata, opus in Deum nequit referri, uti debet.

Deindè, rectè proſcripta erit propoſitio ſi Tò *infideles* illud importet, ut idem ſignificet, quod deſtituti fide formatâ ſive charitati perfectæ aſſociata: falſum enim eſt, & abſurdum dicere, infidelium, id eſt fide formatâ deſtitutorum opera eſſe peccata, cum plurima peccatorum opera agnoſci debeant bona, ubi tamen fides illa formata iuſtificatis eſt propria. Repugnat enim doctrinæ Tridentini antè à nobis hic citati. Illum iterùm ſenſum à condemnatis authoribus fuiſſe intentum, probat proſcriptio aliorum articulorum, ſignanter huius num. 34. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

Denique rectiſſimè procedit condemnatio, ſi per peccata intelligantur illa, quæ talia ſunt ex proprio obiecto, ſeu ex genere ſuo. Colligi

ſigi hoc poteſt ex Matthia Hazeur tom. 2. anat. pag. 317. edit. pariſienſ. qui oſtenſo, quomodo doctrina Auguſtini à proſcriptione obiecti articuli ſit maximè aliena, ita inter alia ſubdit: *Quando agitur de peccatis aut vitijs, conſiderantur ex genere ſuo, ſeu obiecto proprio: non autem ex circumſtantijs: ideoque omnia opera & virtutes infidelium non ſunt peccata & vitia, quia non ſunt talia ex genere ſuo, ſeu obiecto proprio: imo nec ex vi talis ſubiecti aut etiam agentis, ſed tantum ex alijs vitioſis circumſtantijs, præcipuè finis ipſius agentis, aut etiam ex ſolo defectu finis ultimi.*

Conſtat ergo rectè proſcriptum articulum in obiectione allatum, ijs ſenſibus quos intendebant, quos ſtringit cenſura, uti vidimus: etſi hoc perſtet iuxta D. Auguſtinum, requiri aliquem Dei propter ſe amorem, ut opus virtuoſum bene fiat, illud in Deum ut ultimum finem referendo, uti debet. Patet ulterius, quamdam fidem Dei quoque ad idem illud exigi, ſi ſub fide comprehendamus omnes pias illuſtrationes intellectus, amorem & affectum ſaltem inchoatum & imperfectum in Deum dirigentes. Quo ſenſu intelligendus eſt D. Greg. regiſtri l. 3. epiſt. 33. ubi ait. *Opera quantumlibet bona videantur, nulla ſunt, ſi à ſoliditate fidei diſiungantur.* Idem confirmant Arauſicanæ Synodus Patres can. 22. definientes: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas fortitudinem chriſtianorum, charitas Dei fa-*

 cit.

ait. Quæ verba ex D. Auguſtino l. 1. operis imperf. contrà Iulianum c. 83. ut & alia ejuſdem Concilij ex alijs eiuſdem doctoris ſententijs, eſt deſumpta. Subſequitur & Beda l. 1. in cantica c.6.ubi ait: *Conſtat quia quicumque Philoſophorum Chriſtum Dei virtutem& Dei ſapientiam neſcierunt hi nullam veram virtutem, nec ullam veram ſapientiam habuerunt.*

Subſcribet Angelicus Doctor in cap. 3. ad Galat. lect. 3. ubi ait: *Si reddas tibi vel proximo quod debes, & hoc non facis propter Deum, magis es perverſus, quàm iuſtùs, cum ponas finem in homine.* Sed inſtat author Ignis Fatui fol. 33. & ait, ſolum dici ab Apoſtolo & alijs SS. Patribus, virtutes ſine charitate non prodeſſe ad ſalutem, ſeu non eſſe meritorias, eſſe tamen veras virtutes, etſi ad ſalutem ſteriles: *Non dixit*,ait,*Paulus, fides ſine charitate non eſt fides, ſed inutilem ſolùm dixit ad ſalutem, quamobrem ſubiunxit nihil ſum,vel nihil mihi prodeſt,quod probat Anſelmus ſuper eo Apoſtoli verbo, maior horum eſt. Charitas, ſine charitate inquit poteſt eſſe fides & ſpes.*Hæc ille.Iulianum olim veras virtutes,ſteriles tamen agnoſcentem,confutavit S. Auguſtinus l. 4. c. 3. & alibi ſæpè, cui reſpondet: *Fieri non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus..... Nullo modo homines ſunt ſteriliter boni.*Undè authorem Ignis Fatui *cum* Auguſtino hic compello: *Quomodo obſecro, aut non iocaris, in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas?*

das? qui utique aut nulli ſunt, aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt: aut ſi fructus boni ſunt, profecto ſteriles arbores non ſunt. Ecce S. Auguſtinus nullas veras virtutes ſteriles ad ſalutem agnoſcit, quidquid eſt verè bonum, erit quoque & meritorium, ſaltem de congruo. *Debetur enim merces bonis operibus, ſi fiant*, ait Conc. Arauſ. can. 18. Neque aliud intendit S. Anſelmus; dum enim ait quod ſine charitate poſſit eſſe fides & ſpes, intelligit *Charitatem perfectam*, ſine qua veram fidem & ſpem poſſe conſiſtere nemo diffitetur. Nec eſt, quod Paulus fidem Raàb meretricis laudet, Salvator fidem Chananeæ, Chryſoſtomus Cornelij ad huc gentilis &c.

Conſtat enim abundè ex dictis, etiam infideles poſſe à Deo illuminari & acquirere charitatem ergà Deum imperfectam, maximè cum iuxta adverſarios, cuilibet omnino adſit gratia ſufficiens ad ſalutem, undè nulla obiectio aut illatio.

ARTICULUS VI.

An Fides poſſit eſſe ſine charitate?

ETſi ſufficienter præcedenti Paragrapho demonſtratum ſit, nullam omnino virtutem rectè procedere, aut fieri ut fieri oportet, abſque eo, quod à charitate ſaltem imperfectâ imperetur aut eliciatur, iuxtà ſenſum à nobis

 explicatum;

explicatum; ſpecialius tamen illud tenendum eſt de virtute fidei. Hanc enim ſine charitate aliqua, aut affectu benevolo exerceri non poſſe fateantur omnes neceſſum eſt, etiamſi verbis contrarium videantur aſſerere.

Pro cuius confirmatione advertendum, omnibus omnino Doctoribus & Theologis manifeſtum eſſe, ad virtutem fidei neceſſariò prærequiri piam voluntatis affectionem, qua voluntas benè afficitur primæ veritati res fidei revelanti: cuius imperio intellectus captivatur in obſequium fidei. Hæc autem pia voluntatis affectio, quid aliud eſt, niſi quædam Dei propter ſe dilectio? enimverò, quando intellectus ex tali pia voluntatis affectione primæ veritati revelanti acquieſcit, procul dubio adeſt amor quidam & dilectio primæ veritatis, ratione cuius ſeſe homo illi ſubijcit aſſentiendo ijs, quæ divina veritas revelat. Eſt ergo pia illa voluntatis affectio, charitas Dei revelantis, & primæ veritatis propter ſe ſaltem imperfecta, quæ etſi ad illam perfectionem non pertingat, ut ſuper omnia creata diligatur Deus, veræ tamen & ſinceræ charitatis rationem non amittit. Deindè pia illa affectio voluntatis nil eſt, niſi bona voluntas, quæ S. Aug. nihil eſt aliud, *niſi charitas, quam Scriptura nobis clamat eſſe à Deo*, ut ait l. de gratia Chriſti c. 21. Hinc eſt, quod idem S. Doctor ſæpiſſimè diſtinguat fidem Chriſtianorum à fide dæmonū,

quod

quodChriſtiani credant amando, dæmones formidando: undè poſtquam epiſt. 105. pluribus demonſtraſſet, fidem eſſe donum gratiæ per Ieſum Chriſtum factum, ita ſubdit: *Hanc Apoſtolus fidem definivit dicens: neque circumciſio eſt aliquid, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur, iſta quippè fides eſt chriſtianorum, non dæmoniorum, nam & dæmones credunt & contremiſcunt: ſed nunquid & diligunt? nam ſi non crederent, non dicerent, tu es ſanctus Dei: ſi autem diligerent, non dicerent, quid nobis & tibi?*

Idem docet S. Doctor varijs hinc indè locis Pelagium oppugnans, ſtatuens initium fidei, eſſe piam voluntatis affectionem, quam Pelagiani ex nobis eſſe contendebant, Auguſtinus verò ex gratia Chriſti demonſtrabat. Hinc epiſtola 107. ad Vitalem ait: *Tu initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt piæ voluntatis, non vis eſſe donum Dei.* Quod verò bonam & piam voluntatem nihil aliud velit eſſe Auguſtinus niſi charitatem, claret ex eo, quod docet l. de gratia Chriſti c. 2. dicens: *Quaſi vero, aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo.*

Eadem confirmat Auguſt. alijs locis, dum cet omnem omninò cupiditatem boni eſſe charitatem, omnem iuſtificationem eſſe dilectionẽ &c. Cùm pia illa voluntatis affectio intellectum in obſequium fidei captivans, proculdubio

dubio ſit boni, imo ſummi boni cupiditas, & vera iuſtitia, imo omnis omnino iuſtificationis initium & fundamentum. Quapropter rectè ex D. Auguſtino definivit Concilium Arauſ. 2. can. 7. *Neminem poſſe conſentire Evangelicæ prædicationi abſq; illuminatione & inſpiratione Spiritus S. qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati.* Nihil enim aliud ſuavitas in conſentiendo ſive delectatio Auguſtino ſignificat, niſi charitatem.

Datam doctrinam confirmat magiſter ſent. l. 3. diſt. 23. §. 3. ubi ait: *Fides ſine dilectione inanis eſt: fides cum dilectione Chriſtiani eſt, alia dæmonis eſt.*

Etſi enim iuxtà veriorem Theologorum opinionem, fides tam quo ad actum quam habitum in dæmonibus non ſit agnoſcenda, tùm propter inutilitatem, tum propter indecentiam; agnoſcenda tamen eſt in illis cognitio rerum fidei, quibus aſſentiri coguntur vel ipſâ evidentiâ, vel clarâ earumdem cognitione, quæ notitia fidem innitatur, Chriſtiana tamen non eſt, eo quod ejuſmodi notitiâ intellectus eorum non captivatur in obſequium fidei, nec primæ veritati benè afficitur, ſed malè, eamdem execrando, & quam antea minantem audire noluerunt & contempſerunt, modò juſtè punientem ſuſtinendo.

Ut autem doctrina hæc clarius pateat, contraria ſentientium opinio eſt reijcienda. Opponunt

nunt ergo primò, Iuxta data principia, fidem numquam eſſe informem, utpotè numquam à charitate ſeiunctam, qualem tamen admittunt Scholæ & Theologi omnes. Ad quod reſpondeo, neg. antec. Statuimus enim fidem nihilominus eſſe poſſe ſine charitate, adeoque informem, ſi per charitatem intelligatur charitas perfecta & perfectè hominē Deo uniens, ut patet in peccatoribus fidelibus, ſeſe ad iuſtitiam præparantibus. Ab hac enim charitate tamquam formâ, fides (uti & aliæ virtutes) dicuntur informes aut formatæ, prout illi coniunguntur aut ſeparantur. Conſtans ergò eſt S. Auguſtini ſententia l. 15 de Trinit. c. 18. ubi ait: *Fides juxta Apoſtolum ſine charitate eſſe poteſt*, id eſt charitate perfecta, quæ hominem divinæ facit naturæ conſortem & hæredem regni. Cum quibus optimè concordat, quod fides non poſſit ſeparari à charitate latè dicta, prout omnem ſincerum & benevolum in Deum aut aliquam Dei perfectionem affectum & piam voluntatem importat.

Opponunt rurſum, iuxta datam hactenus ſententiam admittendum neceſſario progreſſum in infinitum: ſi enim fides quælibet neceſſario præexigat charitatem ſaltem imperfectam, & quælibet charitas fidem præexigat à qua dirigatur, ut à cognitione ſibi proportionatâ, ſequitur hanc fidem dirigentem iterùm prærequirere charitatem, quæ charitas

rurſum requirat fidem &c. Ad quod R. negando indè ſequi talem progreſſum in infinitum. Etenim antè primum charitatis actum, quem Deus homini infundit, non neceſſario prærequiritur actus fidei formalis, cùm ſimul cum fide & charitatem inſpiret. Actualis enim gratia, ut docet S. Auguſt. partim conſiſtit in illuminatione intellectus, partim in pia affectione voluntatis, quæ pia illuminatio à SS. Patribus comprehenditur ſub fide, & affectio ſub charitate. Deindè ſolummodo debet præcedere actum charitatis apprehenſio divinæ bonitatis; dum dicunt actum charitatis debere præcedere actum fidei.

Supereſt examinanda Apoſtoli ſententia, 1. ad Corinthios 13. ubi charitatem excellens ita inter cætera ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ad hunc Apoſtoli locum commentans quidam Scripturæ Interpres famoſus, reiectâ primum Eraſmi ſententiâ, qua hyperbolem huic loco affricat, ut nimis frigidâ, docet illâ Apoſtoli doctrinâ innui, ſine charitate, nè quidem maximam fidem prodeſſe. Deindè obiecto ſibi, ergò ſi pænitens in bonis operibus ſe exerceat antè reconciliationem, illa nihil ipſi proſunt. Ad quod ita ſubdit: *Reſpondent aliqui prodeſſe, quia pænitens inquiunt habet charitatem non infuſam, quæ*

facit

facit iuſtum, ſed charitatem, id eſt affectum ſinceri amoris ergà Deum, quo ad reconciliationem adſpirat. Verùm hic affectus non eſt, nec dici poteſt charitas: Charitatem enim hic & alibi Scriptura vocat eminentiſſimam virtutem, fide & ſpe maiorem, quæ nos Dei amicos facit. Secundò, quia affectus timoris, ſpei & fidei diſponunt ad juſtitiam, ergò ſunt aliquid etiam, ſine affectu amoris illius. Hactenus Commentator, qui etſi multa adferat, pauca tamen probat, imo à ſenſu S. Auguſtini hic ut & aliàs longè deflectit: in primis enim manifeſta eſt S. Auguſtini ſententia, quod, quiſquis actum exercet quantumcumque de ſe bonum, ſi tamen per charitatem ad Deum non dirigatur agentis intentio, quod inquam ille non tantum non ponat actum qui proſit agenti, ſed è contrario, exercitio talis actus peccet, cùm ut alibi docet, etiam dona Dei, cùm ad ſuum non referuntur authorem, etiam his utentes efficiuntur injuſti. Deindè ex profeſſo ad hunc Apoſtoli locum reſpiciens S. Doctor ſerm. 53. de tempore, per charitatem non intelligit charitatem habitualem & iuſtificantem, ſed actum ſive officium charitatis. Ait enim: *In omnibus præceptis Dei charitas obtinet principatum, ſine cuius perfectione, nihil Deo placere poſſe Paulus Apoſtolus teſtatur: quia nec martyrium, nec ſæculi contemptum, nec eleëmoſynarum largitionem ſine charitatis officio, quidquam proficere poſſe oſtendit.* Ex

quo

quo patet in omnibus præceptis & actibus charitatis actum eſſe neceſſarium ut opus bonum bene fiat, non quidem charitatem perfectam, ſed imperfectam, quæ homini prodeſt ad ſalutem, & meritoria ſaltem de congruo etiam in peccatoribus.

Deindè, primis Aug. principijs repugnat, dicens affectum ſinceri amoris ergà Deum, quo pænitens ad reconciliationē adſpirat, non poſſe dici nec eſſe charitatem, ubi S. Doctori, omnis bona voluntas nihil aliud eſt, niſi charitas. Etſi enim hic (prout prætendit) aut etiam aliàs in ſcripturis per charitatem intelligatur charitas perfecta, infundatè conſequens dicitur, affectum prædictum, quo pænitens movetur, non poſſe dici, nec eſſe charitatem. Quouſque vero actus fidei ſit aliquid ſine affectu amoris illius, hucuſque oſtenſum eſt, quouſque vero affectus ſpei & timoris ſint quoque aliquid ſine eodem charitatis affectu, patebit ex mox dicendis.

ARTICULUS VII.

An ſpes theologica poſſit eſſe ſine charitate?

SPem prorſus omnem ex amore ac deſiderio eius, quod ſperatur, exoriri, per ſe patet: Variat tamen opinio, ſitne amor ille, amor amicitiæ, an vero concupiſcentiæ. Alia enim amorem illum concupiſcentiæ affectum docet,

docet, eo quod ſit amor ac deſiderium beatitudinis; ut nobis acquirendæ, & conſequenter, quo concupiſcimus illam nobis. Alia è converſo, ſpem docet eſſe amorem benevolentiæ & amicitiæ, quæ ſententia concilijs & SS. PP. ac rationi longè eſt conformior.

Etſi ergò ſpes ſit amor mercedis æternæ, & certa beatitudinis expectatio, qua aliquando frui deſideramus, non ideò tamen rationem amicitiæ ac amoris benevolentiæ excludit, cùm mercedem illam ſibi quidem intendat, ſed ut eâ poſſeſſâ, bonum amici uberius poſſit procurari, ſcilicet ut gloria & amor Dei perfectius in patria poſſit promoveri.

Hinc eſt, quod Concilium Trid. ſeſ. 6. c. 11. Agens de hac ſpe & deſiderio beatitudinis, ſollicitè addat, *ut inprimis glorificetur Deus*, tamquam illud eſſet ultimum ac principale ſpei motivum, ac finis illius primarius & maximè proprius.

Idem probari poſſet ex eo, quod ſecluſo omni prorſus amore Dei, aut alicujus eius attributi, nihil in actu ſpei reperiri poſſet, quod viribus naturæ non poſſet attribui: nam ut docet S. Aug. enchrid. c. 8. Etiam damnati beatitudinem appetunt ac deſiderant. Imo nihil naturæ noſtræ magis proprium, quàm bonum, imo ſummum bonum deſiderare ac ſibi tamquam centro procurare velle.

Deindè, omni æquitati, etiam naturalis rationis

tionis repugnat, Deum aut aliquod eius attributum ad nos ultimatè referre, cum planè inordinatum ſit, nobilius & perfectius referre ad imperfectius ut finem ultimum, quod planè fieret, ſi ſpei ratio in amore concupiſcentiæ abſolveretur. Hinc eſt, quod cautè monet Lenſæus l. 7. de charitate c. 19. amori mercedis neceſſariò adnectendum eſſe, amorem Dei propter ſe, quo principaliter afficimur ergà Deum, & nos amemus ex Deo & in Deo. Aliàs, ut notat Gerſon, ſerm. de omnibus ſanctis, quædam ſpecies eſſet ſimoniæ; diligere Deum principaliter & ultimatè propter bonum noſtrum: ſicut enim in ſimonia, res ſpiritualis ordinatur ad temporalem ut ad finem, & proindè pluris æſtimetur & diligatur temporale quam ſpirituale, ita quoque idem intervenit, ſi merces æternæ beatitudinis, ad nos & bonum noſtrum ultimatè intendatur & deſideretur.

Quid verò ſit, ultimatè & principaliter deſiderare Deum nobis, aut ut bonum noſtrum, ſine affectu ipſius Dei propter ſe, ediſſerit nobis, Iudocus à Caſtro minorita P. æſt: fol. 392. ita ſcribens. *Aſininum eſt amare ſolum amore concupiſcentiæ benefactorem. Vndè ponderat Baſilius, quod ait Iſaias: cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Ecce qui Deum & Dominum dominantium cognoſcit & unicè diligit, ad illum tamquam ad poſſeſſorem pertinet....*

Qui

Qui vero ad præſepe eius ſolum reſpicit aſini vilitatem repræſentat, qui in V. T. de animalibus quæ Deo offerebantur, ſegregatus fuit.

Sit ergò ſpes eſſentialiter affectus ac amor mercedis, neutiquam tamen ad amorem concupiſcentiæ pertinet, ſi propriè loquamur, cùm ultimatè & principaliter bonum amici, per illam debeat intendi. Quamquam ad ſummum dici poſſet, amorem illum non eſſe amorem amicitiæ ſeu benevolentiæ puræ, qui amor bonum amici ſolummodò ſpectat, ſine affectu mercedis: etſi amor amicitiæ omnis ſit affectus boni alicuius, quod ſuo modo ſibi unire ſatagit ex natura ſua, eo ipſo quo amor eſt, iuxta illud S. Auguſtini l. 8. de Trinit. c. 10. *Quid eſt amor, niſi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens*, amantem ſcilicet, & id quod amatur?

Cùm igitur, ut oſtenſum eſt, nec fides theologica, nec ſpes eſſe poſſit ſine omni charitate ergà Deum propter ſe aut aliquod eius attributum, quæret quiſpiam, quo pacto ergò differat fides & ſpes ab ipſa charitate? ad quod R. Inprimis fidem à charitate diſtingui ex eo, quod fides oriatur ex amore primæ veritatis, quo veritas illa omnibus omnino veritatibus antefertur; charitas verò Deum præfert omnibus rebus creatis ſub quacumque conſideratione, non tantùm Dei veritatem omnibus veritatibus anteponendo, ſed & Dei bonitatem

omni

omni reliquæ bonitati, Dei excellentiam & poteſtatem omni alteri excellentiæ & poteſtati &c. Spes verò ut hoc § dictum eſt eſſentialiter mercedem reſpicit æternam, & Deum, cuius contemplatione beati erimus; charitas autem, etſi eo ipſo quo amor eſt, appetat ſibi amatum ut antè dictum eſt, ſui quaſi penitùs obliviſcitur & tota in amici bonum propter ſe dilectum rapitur extrà ſe, nec ita expreſſè bonum proprium ſub propria ratione conſiderat, uti facit affectus ſpei. Ex quo colligat author Ignis Fatui, fatuum eſſe quod dicit fol. 34. *Porrò ſi nullum opus eſt bonum, niſi quod ſit ex motivo charitatis propter Deum ſummè dilectum; ſequitur nullam eſſe virtutem præter unam charitatem, cuius ſolius eſt operari propter tale motivum.* Et infrà: *Qui docet omnia facienda eſſe ex motivo charitatis, ſolam charitatem vult eſſe in mundo, cæteras virtutes omnes foras mittit.*

ARTICULUS VIII.

An quatuor virtutes cardinales poſſint eſſe ſine charitate?

VIrtutes cardinales à charitate ſeiungi poſſe, magis apparenti fundamento urgeri poſſet, cùm virtutes illæ proprium obiectum conſiderando naturam noſtram rationalem qua talem maximè perficiant & propriè illi conveniant. Patet hoc ex aliarum virtutum moralium

moralium naturam rationalem maximè & propriè decentium honeſtate, quæ omnes omnino ad quatuor virtutes Cardinales reducũtur, quo titulo *Cardinales* vocantur, quod tota aliarum virtutum moralium honeſtas in ijs quatuor ut cardinibus verſetur & innitatur.

Verum, etſi fatendum, iuxta alibi allata, poſſe infidelem opus temperantiæ, aut fortitudinis proprium & intrinſecum exercere abſq. eo, quod adſit Dei propter ſe dilecti charitas etiam imperfecta, nequit tamen iuxta S. Auguſtini principia, temperantia & fortitudo vera & undequaq. bona reperiri, niſi adſit charitas ſaltem inchoata. Quod etſi ſatis conſtet ex antedictis, ubi probavimus ex Auguſtino nullam omnio virtutem poſſe eſſe ſine charitate, ſpecialiter tamen ex eodem S. P. probari poteſt de 4. illis virtutibus, quas vocant *Cardinales.* Docet hoc apertè l. de moribus eccl. c. 15. dicens: *Namq. illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis, ut nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem, ut temperantia ſit amor integrum ſe prebens ei, quod amatur: fortitudo, amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur, iuſtitia amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans. Prudentia amor, ea quibus adiuvatur, ab eis quibus impeditur ſagaciter ſeli-*

gens. Sed hunc amorem non cuiuſlibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Quæ definire etiam ſic libet, ut temperantiam dicamus eſſe amorem Dei ſeſe integrum incorruptumque ſervantem, fortitudinem amorem, omnia propter Deum facilè perferentem: Iuſtitiam, amorem Deo tantum ſervientem & ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini ſubiecta ſunt: prudentiam amorem bene diſcernentem ea, quibus adiuvetur in Deum ab ijs quibus impediri poteſt. Idem docet alibi ſæpius, ut l. 6. de muſica c. 15. & alibi.

Ecce S. Doctori, quadripartita virtus ipſe amor eſt, qui quatenus diverſa obiecta attingit, diverſa ſortitur vocabula, ſcilicet prout paſſiones animi moderatur, dicitur fortitudo aut temperantia, prout ius ſuum cuique tradit aut tradi imperat, dicitur iuſtitia &c.

Si vero virtutes illas ut nomine diverſas, ita & re ipſa & officio diſtingui cauſetur, nec ideo à charitate ſciungi illas poſſe, poteſt prætendi. Illud enim Auguſtino uſitatùm & familiarè, à charitate Dei illas virtutes neceſſario debere imperari, ut ſint veræ virtutes, aliàs ſuperbiæ fætus nuncupandæ. Fit enim iuxta S. Doctorem, quod illarum virtutum actus, vel ex amore Dei, vel ex mundi cupiditate exeant & imperentur, ex quo ulterius illud ſæpe innuit, quod eadem virtutum officia prout à diverſis illis amoribus ut fontibus emanant, vel

vel mala ſint vel bona, vel noxia vel proficua, iuxtà ſæpiùs antedicta. Hinc virtutes morales, v. g. patientiam, quæ in iuſtis eſt, ſaltem iuſtitia operis, *veram* vocat; iniquorum vero patientiam *falſam* nuncupat, ut patet c. 17. de patientia: *Fortitudinem verò quam Dei charitas facit* dicit: *Fortitudinem Chriſtianorum, quàm vero facit mundana cupiditas*, dicit *Fortitudinem eſſe gentilium*, ut ait l. 1. Operis imperf. contrà Iulianum, & ex eo concil. arauſ. can. 17. Quod autem hic de fortitudine ſtatuit S. Doctor, pari ſenſu & pari iure de alijs virtutibus moralibus ſtatuendum eſt.

Super eſt, ut omnis omninò virtus ex charitate emanet, ut ſua radice, ſi ſit vera & Chriſtiana, & notetur illud D. Auguſtini pronuntiatum in pſal. 67. *Ea quippe ſola bona opera dicenda ſunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* De religione vero, quod & illa ſine charitate eſſe nequeat, innuit idem doctor innumeris locis, nunc amorem Dei & proximi, vocans Dei cultum, Deo debitam ſervitutem, ut l. 10. de civit. c. 4. nunc pietatem dicens eſſe *cultum Dei*, nec *Deum coli, niſi amando*, ut epiſt 120. c. 18. & l. 12. de trinit c. 14. Undè & interrogat epiſt. 29. ad hieron: *Quid autem eſt pietas, niſi cultus Dei? & undè ille colitur, niſi charitate?* Ex quibus colligi manifeſte poteſt, ad cultum Dei, quem virtus religionis promovet & procurat neceſſario exigi ſibi an-

nexam Dei charitatem, cùm ut ait in pſ. 77. *Hoc colitur, quod diligitur: ſi vero quiſpiam Deum colat, non propter ipſum Deum, ſed propter aliud, iam illud aliud propter quod Deum colis, amas & veneraris, non ipſum Deum*, nam ut ait S. Doctor ibidem: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant: quia eo modo timore ſæculi non liberali dilectione Deus colitur: ſic ergò Deus non colitur: hoc enim colitur, quod diligitur.*

Rectè quoque ad rem noſtram Richardus Vict. de gradibus charitatis c. 3. *Plenitudo*, ait, *legis eſt charitas, & legem continet & prophetas, quia quidquid divina lege indicitur vel interdicitur ad ſolum amorem reducitur. Solve tributum amoris, & Domino noveris ſatisfactum. Quid igitur nobis prodeſt tanta in noſtro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis & diſciplinis iugis auſteritas? paucis accipe: quædam ſunt charitatis obſequia placentia & placantia ſi in charitate fiant: at ſine charitate nihil proſunt: hæc eſt enim virtus in qua nec minimum opus reſpuitur, ſine qua nec maximum acceptatur, non prædicatio &c.*

Liceat ergo cùm Petro Bleſenſi concludere, ita de charitate Dei & proximi c. xi cui titulus. *quod omnes virtutes ex charitate ſint*, diſſerente *Verè verum eſt in charitate ſabbathum &c.*

Verè verum eſt in charitate ſabbathum: cum enim cæteræ virtutes vicem vehiculi vel viatici gerant ad requiem obtinendam, omnes in charitate requieſcunt

requieſcunt illud denique admiratione dignum eſt, quod ſine charitate nihil eſt virtus, & ipſa unicuique virtuti exhibet, ut ſit virtus & Paulo inferius

Porro in Charitate ſemper eſt perfecta caſtitas, ideoque non eſt ibi libido, cui temperantia repugnet. in charitate eſt perfecta ſcientia, ideoque nullus error quem prudentia eliminet. In charitate vera beatitudo eſt, ideoque nulla adverſitas, quam fortitudo expugnet. In charitate omnia ſunt tranquilla & coæquata, ideoque nulla eſt ibi inæqualitas, quam iuſtificari oportet. Denique nec fides virtus eſt niſi *per dilectionem operetur. Nec ſpes virtus eſt niſi quod ſperatur ametur. Rurſum ſi velis virtutum naturam æſtimare ſubtilius, quid eſt temperantia niſi amor quem nulla voluptas illicit? quid eſt prudentia, niſi amor, quem error non ſeducit? quid eſt fortitudo, niſi amor qui nulli adverſitati ſuccumbit? quid denique iuſtitia niſi amor qui quod ſuum eſt unicuique diſtribuit?*

ARTICULUS IX.

An lex poſſit impleri ſine Charitate?

LEx dupliciter adimpleri poteſt, ſemel quoad ſubſtantiam operis præcepti, id eſt quando ponitur ipſum opus, quod lex præſcribit, alio modo quoad modum, quando ſcilicèt opus præceptum fit, non tantum quo ad ſuam ſubſtantiam, ſed eo etiam modo, quo tale opus fieri debet.

Quo prænotato reſpondeo, certum eſſe, ut lex impleatur quo ad ſubſtantiam, non neceſſariò exigi charitatem, cuius imperio opus legis ponatur. Qui ergo parentes honorat, ieiunium obſervat, idque ex ſolo metu, indubiè ſatiſfacit præcepto honorandi parentes ieiunandi &c. Quoad ſubſtantiam.

Ut tamen lex adimpleatur, non tantum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, quo debeat opus fieri, requiritur omnino charitas aliqua, virtute cuius opus legis in Deum dirigatur. Patet illud ſufficentiſſime ex dictis ubi præceptum omnia in Deum ſaltem virtualiter referendi comprobavimus, quod præceptum tamquam generaliſſimum, omnibus alijs præceptis adnexum diximus & probavimus. Clarius tamen illud docet S. Auguſtinus, & ſignanter de præcepto l. de ſpiritu & litt. c. 14. ubi ita ait: *Mandatum, ſi ſit timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideò non fit: non enim fructus eſt bonus, qui de radice charitatis non ſurgit.* Concordat & illud, quod adfert in Pſal. 77. dicens: *Ex corde nullo modo fieri poteſt, quod formidine fit pœnæ, non amore iuſtitiæ.* Et iterùm l. de catheciſ. rudibus c. 20. *Legem non implet, niſi charitas.* Et rursùm de fide & operib. c. 21. *Lex non timore pœnæ, ſed iuſtitiæ amore completur.* Hinc & illos, qui timore ſupplicij legem obſervant, alibi ſub jugo legis collocat, ſignanter l. de natura

tura & gratia c. 57. ubi ait: *Sub lege eſt, qui timore ſupplicij, quod lex minatur, non amore iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati.* Idem docet apertiſſimè alijs locis S. Doctor, ut etiam in Pſalm. 118. conc. 27. ubi ait: *Quis enim facit mandata tua, ſicuti facienda ſunt, id eſt ex fide quæ per dilectionem operatur, niſi eius in corde per Spiritum Sanctum ipſa dilectio diffunditur.* Deindè, ſi Apoſtolus Eph. 6. velit, ut ſervi obediantj dominis ſuis, in ſimplicitate, ex animo & bona voluntate, quam potiori jure id à nobis exigere Deum præſumendum eſt, ut ſibi pareamus ex animo, & ex bona voluntate, quæ nihil aliud eſt, niſi charitas? non enim ſervi ſumus legis, nec ſpiritum ſervitutis iterùm recepimus in timore, ſed filij & ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, filiorum autem obſervantia amore conſummatur, ſervorum autem formidine & timore.

Adde ſuperiori confirmationi illud Pontificis decretum in decret. tit. de reg. iuris: *Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debet, facit, & ideò iam non facit.*

Opponet quiſpiam, ergò ille qui honorat parentes, etſi non ex motivo charitatis, non adimpleat Decalogi Præceptum de honorandis parentibus, quod nihil aliud exigit, niſi honorem parentibus debitum? R. Adimplet ille præceptum, honorandi parentes quoad ſub-

ſtantiam, dum ponit actum quem lex illa præcipit, ſcilicet honorem parentibus debitum; non tamen adimplet ille legem honorandi parentes quoad modum, qui modus quoque cadit ſub legem, non quidem eamdem de honorandis parentibus, ſed ſub legem illam generalem, quâ omne opus per charitatem in Deum dirigi debet, quæ lex omnibus omninò legibus particularibus annexa eſt, & quaſi imbibita, & ſimul obligans.

Charitas ergò ad obſervantiam legis neceſſaria eſt, ut opus legis fiat, ut fieri oportet: inſuper huius defectu, opus legis gravat quod per charitatem dulceſcit & recreat operantem.

Audi quid de hisce ſentiat Auguſtinus de perfect: Iuſtit: c. 10. *Laborant*, ait, *homines in Dei præceptis, quia ea timendo conantur implere: ſed charitas facit præcepti ſarcinam, non ſolum non prementem onere ponderum, verùm etiam ſublevantem vice pennarum.* Et rurſum l. de natura & gratia c. 65. *Omnia*, inquit, *fiunt facilia charitati, cui uni, Chriſti ſarcina levis eſt.*

ARTICULUS X.

An meritum poſſit eſſe ſine charitate?

AD meritum exigitur iuxta omnium ſententiam ut ſit opus bonum, quo dicimur mereri:

mereri: ſoli enim operi bono addicitur merces, malo autem pæna & ſupplicium. Ex quo conſequitur, quod opus meritorium charitatis affectum præexigat, à quo ſaltem virtualiter eliciatur. Probatur illud inprimis ex antedictis ubi ad opus undequaque bonum charitatis affectum neceſſarium ſtatuimus & probavimus.

Probat idem Doctor Angelicus q. 114. a. 4. docens meritum vitæ æternæ, pertinere primo ad charitatem, ſecundario ad aliàs virtutes, ſecundum qnod ipſarum actus à charitate imperantur. Huic reſponſ: ad 3. Concludit. *Qúod actus fidei non ſit meritorius, niſi fides per dilectionem operetur.*

Idem aperte docet doctor Seraphicus in 2. ſent. diſt. 41. q. 3. ubi ait. *Notandum, quod ad hoc, ut aliqua actio ſit meritoria, non oporteat, ut eam ſemper quis actualiter referat ad Deum, ſed ſufficit relatio habitualis.* Quod autem per habitualem intelligat virtualem, clare patet ex contextu ſequenti, dum ait. *Si quis intendat pro Deo dare centum marcas, & de Deo cogitat in datione prima marcæ, & in alijs non cogitat de Deo: nihilominus omnes illæ dationes ſunt meritoriæ.*

Quod vero hæc fuerit doctoris Angelici, uti & aliorum & SS. Patrum ſententia, diſertè aſſerit P. Vincentius Contenſon, doctoris Angelici diſcipulus & filius fideliſſimus,

ita differens diſſert. 4. c. 2. de merito SS. ubi fol. mihi 553. ſic ait. 7. *Conditio : influxus ſin actualis , certè virtualis charitatis.* Et ita proſequitur : *Noſtram ſententiam, Scriptura, Patres, & poſt illos S. Thomas non tam docent , quam ſupponunt , utpote ipſis communiſsimis chriſtianæ pietatis notitionibus prorſus conſentaneam.*

Etenim quid in ſcripturis inculcatius, quam ut omnia propter Deum omnia in nomine Domini : omnia propter gloriam Dei operemur , ut ſerio nimirum moneamur uni amori , vel certe operibus ex amore Dei elicitis meritum convenire , & præmium reſpondere ? undè & poſt paucæ concludit: *ſane ſicut nullum eſt vel eſſe poteſt ſine iuſtitia meritum nullum erit ſine charitate opus præmij eſſentialis meritorium, cùm Chriſtiana Iuſtitia tota ex charitate pendeat, & à Charitate ipſa Chriſtianæ Iuſtitiæ rationem ſortiatur.*

Evidenter quoque prædicta innuit & docet Scriptura S. 1. cor. 13. ubi docet, nec fidem nec martyrium nec eleëmoſijnarum elergitionem eſſe aliquid ſine charitate: hoc eſt quod omnia omnino à charitate elici debeant aut ſaltem imperari, ut ibidem docet Exim. D. Eſtius, & in ſequentibus declarabitur ex S. Auguſtino in Confirmationem ſententiæ noſtræ adducendo.

Idem innuit ſufficienter Concilium trid agens de merito, ſeſ. 6. c. 14. *Dicens iuſtorum operibus mercedem à Deo reddendam,* Sed ſollicitè

tè addit, *Quæ in Deo ſunt facta.* Hinc etiam ſalvator noſter legiſperito. *Quærenti, quid faciendo vitam conſequeretur æternam reſpondit* lucæ 10. *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis?* ille reſpondens dixit: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. Subiunxit Chriſtus. *Rectè reſpondiſti, hoc fac & vives.* Summa ergò meriti eſt, diligere Deum ex toto corde &c. Et initium omnis meriti, ſine quo omnis virtus nihil prodeſt.

Dicet aliquis, Deus mercedem promiſit, opera moralis honeſtatis dumtaxat proximo impendentibus, ut potum dantibus, qui ſitiunt, cibum qui eſuriunt &c. nullâ factâ charitatis mentione. R. Sufficienter in alijs, charitatis fieri mentionem, tamquam ad tale meritum conſequendum neceſſariæ, dum Scriptura iubet, Deum ex toto corde eſſe diligendum, idque indeſinenter; omnia in Dei gloriam facienda, quæ præcepta alijs præceptis tamquam neceſſariam conditionem ſecum inducentia, adiunguntur, & modum apponunt neceſſarium, ut opus bonum & morale, bene fiat, & ſit meritorium.

Datam doctrinam confirmat Doctor Melliſluus de interiori domo c. 8. ubi ait. *Quidquid homo facit, bonum eſſe non poteſt; niſi ex bonâ voluntate procedat..... Voluntas hominis eſt, poteſtas Dei. Voluntas hominis eſt, quia velle in voluntate hominis eſt, & ideo totum meritum in voluntate eſt: quantumvis, tantum mereris. Quan-*

tum creſcit voluntas tua bona, tantum creſcit meritum tuum. Fac igitur magnam bonam voluntatem tuam, ſi vis, habere magnum meritum. Quid autem aliud per bonam voluntatem intelligit S. Doctor niſi charitatem, uti cum S. Auguſtino docet frequenter & conformiter?

Idem tradunt doctores alij & theologi paſſim. Id enim certo tenendum eſt, ait Ioannes Thaulerus ſerm: 2. domin. 4. poſt trinit. *Deum mercedem non reſtituere pro operibus, quorum ipſe finis non eſt.* Et iterum ſerm. 6. in ferijs paſchalibus. *Nihil remunerat (Deus) niſi in amore, ex amore, & cùm amore: primo inquam nihil remunerat, niſi in amore ſit factum. Hic notandum tria eſſe, quibus mereri poteſt homo: quæ ſunt externa opera, interna contemplatio, & intima deſideria & amor. Externa opera eatenus meritoria ſunt, quatenus in charitate fiunt. Illa enim opera in ſe ipſis tranſitoria ſunt & caduca, & ideo non poteſt illis homo mereri æterna, ſi ſola fuerint abſque dilectione, quæ ut ait Apoſtolus, numquam excidit. quæcumque ergò opera extra charitatem peraguntur, vitæ æternæ haud quaquam meritoria ſunt.* Hucuſque theologus illuminatus.

ARTICULUS XI.

An homo poſſit diligere ſe ipſum aut proximum, ſine dilectione Dei?

Authorignis fatui affirmat fol 31. & ait: *Bonum & licitum eſt ſe diligere propter ſe ipſum,*

ipſum melius autem ſe diligere propter Deum, & de hoc modo præſtantiori diligendi ſeipſum loquitur. S. Auguſt: cum ait: Nullam eſſe aliam dilectionem, qua quiſque diligit ſe ipſum, niſi quod diligit Deum. Rationem ſubdit: *Nam ſi nemo niſi diligendo Deum, diligit ſe ipſum, non opus erat, ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam ſe ipſum & proximum homo diligere iuberetur.* &c. Amorem ſui primam hominis perditionem iuxta S. Auguſtinum, ſuades mi bone vir. Intellige quid te doceat S. Pater l. de gratia Chriſti c. 20. *Aliud eſt*, inquit, *charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix omnium malorum*: Et lib. 3. de doct. Chriſt: c. 10. *Cupiditas eſt motus animi ad fruendum ſe, & proximo & quolibet corpore non propter Deum: charitas verò eſt motus animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe & proximo propter Deum.* Quid vero eſt aliud diligere ſe propter ſe ipſum; niſi cupiditas, niſi frui ſe ipſo, id eſt iuxta S. Auguſt: inhærere rei alicui propter ſe ipſam, ubi ſolum æternis fruendum docet, cæteris verò utendum? Cupiditatem ergò ſuades, dùm ignem charitatis vere fatuum accendis: audi clariſſime eumdem doctorem, l. de doct. chriſti: c. 22. *Nec ſe ipſo quiſquam frui debet, ſi liquido advertas, quia nec ſe ipſum debet propter ſe ipſum diligere, ſed propter illum, quo fruendum eſt.* Quid à te è diametro huic S. Patri proferre poterit magis contrarium? credo erro-

rem tuum cernis, niſi forte ſupercecidit ignis fatuus, neque videre ſolem veritatis poteris. Licet ergo amor ſui ex naturæ lege dimanet, & amor omnis incipiat à ſemetipſo, ad amorem Dei, quo ſolo fruendum eſt, dirigi debet, ſi ordinatus ſit: ſi in ſe homo hæreat, debitum ordinem violavit, & incommutabilem legem, quæ ſolis æternis ultimate inhærere & illis frui permittit. Talis erat amor ſui in ſtatu innocentiæ, dum mens in omnibus uni Deo intenta, omnia in Deo & propter Deum agebat & intendebat: verum in hoc miſeriæ ſtatu dominatur amor ſui, hominem infra ſe detinens, & creaturis affigens, qui proindè ad amorem ſummi boni dirigendus eſt, nè omnium malorum ſit origo & radix. Quod ergo amor ſui bonus ſit, habet ex naturæ inſtitutione, quod verò malus ſit & inordinatus, habet ex naturæ corruptione.

Similis eſt ratiocinatio de Amore proximi, de quo ita S. Pater ſerm: 6. de ſerm. Domini: in ult. cæna. *Sic diligendus eſt proximus, ut in illo ſemper diligatur Deus: ſi ſic diligis proximum, compleſti mandatum: debet enim diligi proximus, ut amoris cauſa ſemper ſit Deus: non autem proximus.* Recole, quod charitas ſit virtus, qua Deus diligitur propter ſe, & proximus propter Deum: Conſidera, quod proximo, utpote creaturâ, frui, ſit illicitum. Unde concludo cum S. Auguſtino l. 2. doct: Chriſt: c. 22.

Quiſquis

Quiſquis rectè proximum diligit, hoc cùm eo debet agere, ut etiam ipſe toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum ſic enim eum diligens tamquam ſe ipſum, totam dilectionem ſui & illius (proximi) *refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extra ſe patitur, cuius derivatione minuatur.*

Porro, etſi amor ſui aut proximi non poſſit eſſe ſine amore Dei, uti ex S. Auguſtino oſtendimus, an ideo lex amandi ſe & proximum erit fruſtranea, ut alter prætendit? an ideo confundimus mandatum dilectionis Dei & proximi? ita Igni Fatuo illuminato apparet, & quidem tam clare, ut ulteriori examine non egeant: & vere, quia primo falſa. Etſi enim nulla omnio lex ſine Dei amore ſaltem imperfecto impleri poteſt, non ideo quælibet lex ab amoris lege diſtincta, erit ſuperflua. Charitatis Dei mandatum & generale eſt & ſpeciale. Generale quidem, quod omni legi eſt annexum, eo ipſo quo omne opus legis, ut bene fiat, per charitatem debeat referri in Deum ut finem ultimum quo ſenſu lex amoris, etſi omni legi neceſſario connexa, ab illa tamem vere diſtinguitur. Specialis eſt, qua diligendus eſt Deus ſuper omnia, virtus Theologica & omnium virtutum regina quæ una ſit omnium forma, omnes virtutes in ſuum finem dirigens, quæ quoque ab alijs tùm dignitate, tum motivo differt & diſtriguitur. Etſi ergo amor Dei amo-

rem

rem ſui & proximi neceſſario comitetur, non ideo tamen præceptùm de altero erit fruſtraneum, non ideo illi inter ſe erunt confuſa.

Verum, quam importuna S. Patris explanatio, dum dicit fol. 31. S. Patrem intelligendùm eſſe de eminentiori charitate ſui, quæ eſt propter Deum, dum ait: *Nullam eſſe aliam dilectionem, qua quiſque diligit ſe ipſum, niſi quod diligit Deum?* Nullam aliam expreſſe agnoſcit S. Doctor dilectionem, niſi in Deo & propter Deum, tu aliam ſtatuis, quæ ſit ſui propter ſe ipſum, non propter Deum. Audi quid eodem loco, ſcilicet epiſt 52. ſubdat continuo S. Doctor: *Qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt.* Hinc etiam docet amorem ſui in lege charitatis Dei non fuiſſe expreſſe præſriptum, etſi talis erat præſcriptus in ſecundo mandato illi primo ſimili: ait enim: *Quia igitur nemo, niſi Deum diligendo, diligit ſe ipſum, non opus erat, ut dato de dilectionis Dei præcepto, etiam ſe ipſum homo diligere iuberetur, cum in eo diligat ſe ipſum, quod diligit Deum.*

ARTICULUS XII.

An detur actio indifferens, & delectatio ſimilis?

SAltitantem ignem fatuum proſequitur author, & ait fol. 29. *Actiones indifferentes dari, & conſequenter indifferentes de ijs delectationes, unanimis eſt doctrina ſanctorum patrum.*

Quiſquis

Quiſquis illas è medio tollit, Dei ordinationi reſiſtit..... Quam actionum & delectationum indifferentiam ſi quis neget in homine, hominis creationem de peccato & inordinatione arguit. Digna fatuo igne ratiocinatio. Itane in animis SS. Patrum doctrina, dari actus indifferentes, ubi S. Auguſtinus varijs locis docet regnare cupiditatem, ubi non eſt Dei charitas, quod voluntas aut amet Deum & bona ſit, aut eum non amet, & mala ſit, uti docet l. 2. de pec: meritis c. 18? an unanimis SS. Patrum ſententia, ubi S. Baſilius in pſalm: 29. ita loquitur: *Vna qualibet actio aut ad inferiora nos per peccatum gravando deducit, vel habiles ad Deum accedendi ad Deum tollit?* ubi Doctor Angelicus expreſſè dicit in 1. diſt: 1. q. 3. *Secundùm theologum nullus actus procedens à charitate deliberatè eſt indifferens*: rationem addit: *Quia ſi refertur in Deum ſuppoſitâ gratiâ meritorius eſt, ſi autem non eſt referibilis peccatum eſt, ſi vero referibilis eſt, & non referatur, vanus eſt & otioſus, otioſum autem apud theologum inter peccata reputatur.* Eiuſdem ſententiæ teſte Vaſquez, ſunt quoque S. Proſper, S. Fulgentius, quibus adde omnes illos, quos attuli pro confirmatione noſtræ opinionis, qua docemus omnia opera in Deum ut ultimum finem eſſe referenda; ſi enim opus in Deum ita dirigat, ſi alias de ſe malum non ſit, erit bonum: ſi eâ relatione careat, defectuoſum erit iuxta ante dicta.

An ergo dicti Patres & authores Dei ordinationi reſiſtunt? an hominis creationem de peccato & inordinatione arguunt? Certe Deus ſapientiſſima ſua ordinatione hominis creationem ſic ordinavit, ut mens eorum ſoli Deo intenta foret, quam diu ſe in ſua integritate conſervaret: quidquid agebant, ordinatiſſima lege ad finem ſuum ultimum deducebant: nulla rationis cum concupiſcentia lucta aut pugna, ſed ordinatiſſima rationis cum corpore coniunctio; in hac permanſiſſet, quam diu ſua ſe voluntate, à ſummo bono non ſegregaſſet. Nulla ideo otioſa actio admittenda, niſi otioſum ad perfectionem talis ſtatus ineptè velis pertinere, quod D. Thomæ peccato æquivalet. Ecce; quomodo author hominis creationem de peccato arguit, dum otioſitatem hic requirit: verè fatuo igne & labore conſumeris.

Delectationes quoque bonas admittimus & malas, indifferentes nullas: vel enim propter ſe illæ appetuntur, & malæ ſunt: aut ſi bonæ ſunt, ad Deum ultimatè diriguntnr. *Illam delectationem*, ait Sixtus ſenenſis de ſemine inſpirationis ſerm: V. *naturalem, quam habes, ſi referſ ad Deum, eſt bona; & conſequeris gratiam: ſi ad te referſ, culpa eſt. Vndè Iob* 26. Dulcedo illius vermis non ſit tibi in recordatione, *referendo ſemper ad Deum tuum.* Forte inepta tua doctrina contraria, pullulat ex ſchola illa epicurea

curea, quæ docet, copulam coniugalem habitam propter ſolam delectationem carnalem, culpâ carere etiam veniali, quod à S. Sede eſt condemnatum, de quo in ſequentibus. Delectare ergo in domino, ſi velis bene delectari, nec quiſquam te prohibet amare creaturas, ſed eas non amare ab beatitudinem. *Nihil enim aptius, quam rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia, ſicut ipſa eſt ſummum bonum: imò ut nihil amet, niſi illam aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud bonum niſi per illam*, ait Anſelm: monol: c. 66. & Laurentius Iuſt: fol 19. *Pudeat ergo hominem creaturis inhærendo, non amare bonum, unde bona ſunt.*

Quidquid ergo in mundo diligendum venit, tranſitorium eſt: tranſitorijs tranſitoriè utere, quia hoc mundo utendum, tamquam non utaris. Hoc eſt quod ait Apoſtolus, *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*, 1. Ioan: 2. & 2. cor 1. *In carne ambulantes*, non perſiſtentes. Surſum corda ſint iuxta primævam tui inſtitutionem, aliàs irrationabilibus ſimilis, de quibus poëta:

Pronaque cùm ſpectent, animalia cætera tellus,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri.
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

ARTICULUS XIII.

Quiſnam ſit ordo amoris.

EX dictis facili conſequentiâ deduci poſſet, quiſnam ſit ordo amoris, ſive amor ordinatus: *dilectionem ordinatam habet, qui ordinem ſervat & diſtinguendo, eligendo, pendendo ſubdit minora maioribus*, ait S. Auguſt. epiſt. 120. Item l. 1. doct. chriſt: c. 27. *Iuſtè vivit, qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet, nè aut diligat, quod minus diligendum eſt, aut non diligat, quod diligendum eſt, aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum, aut æque diligat, quod vel minus vel ampliùs diligendum eſt, aut minus vel amplius, quod æque diligendum eſt.* Rectè & opportunè fol. 10. hunc ordinem depromit adverſarius ex S. Auguſtino. Nonnè ille minora maioribus ſubdit, qui Deum ſuper omnia & in omnibus diligit, & diligendum præcipit? nonnè ille ordinem ſervat amoris, qui creaturas omnes in Deo & propter Deum, propter quem factæ ſunt, diligit, eiſque utitur?

Carpit tamen eos, qui docent virtutem non eſſe aliud aliud niſi amorem Dei. Verum quo iure illos indignanter accuſat, qui unanimi conſenſu docent, non eſſe virtutem niſi ex amore Dei prodeat, quos attuli articulo 5? Non veretur traducere S. Auguſtinum, cuius hæc

eſt

eſt ſententia de moribus Eccleſiæ c. 15. *Virtus eſt ordo amoris:* Et rurſum l. de grat. & lib. arb. c. 18. *Virtus eſt charitas, qua id quod diligendum eſt, diligitur:* Et iterum epiſt: 106. *Charitas ſola benè operatur:* Non erubeſcit unà damnare Doctorem Mellifluum, qui ita loquitur de grat & lib. arb. c. 6. *Nihil aliud ſunt virtutes, quam ordinatæ affectiones.*

Verum tamen eſt, quod ſubdit: *Non ſubdit profecto maiora minoribus, qui ſacroſanctam veneramdamque antiquitatem novellæ ſuorum opinioni poſtponit.* Videbimus articulo ſpeciali, quinam novatorum nomine ſint nuncupandi, uti & illi, qui viam veritatis edoceant, primò tamen diſcutiendus

ARTICULUS XIV.

Quanam Charitas in Sacramento Pœnitentiæ ſit neceſſaria?

Rectiſſimè pronuntiaſti fol. 36. *Si uſquam vera charitas neceſſaria eſt, hæc in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ eſt neceſſaria.* Quam charitatem deſideres, ex contextu intelligo, illam ſcilicet, quæ ſuâ pernicioſâ indulgentiâ peccatores fovet, & oleo adulationis impinguat. Appono interim inprimis ad veram cordis contritionem requiri charitatem ſaltem imperfectam, cui hoc ſatis ſit, quod dicit S. Auguſtinus ſerm. 7. de tempore: *Pænitentiam*

tentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei. & l. 2. contra adverſ. legis c. 7. *Deſiderium peccati non extinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Superſedeo ab ulteriori huius opinionis Confirmatione, quam tum ex ſcriptura, Concilijs, SS. Eccleſiæ Patribus & Doctoribus uberrimè adducere poſſem. Satis tibi ſit, ſententiam illam eſſe certam, oppoſitam vero de ſufficientia attritionis fornudoloſæ ex ſervitutis ſcholâ progenitam, eſſe novam, quam noviter adinventam in decurſu probabimus, non eſſe certam, imò planè infundatam: unde æqua lance pondera, num tali opinione in Sacramento pænitentiæ, in quo charitatem maxime neceſſariam garris, ſine charitate procedere tutò poſſis, maxime cum nuperrimè condemnata ſit hæc authoris netiſſimi, ab Innocentio XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi: Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis:* Verùm de hac iterum ſuo loco. Fortè oppones ſententiam tuam eſſe certam, ſed quâ certitudine, norunt Theologi.

Fortè quoque non carpes omnem omnino amorem, ſed perfectum dumtaxat, uti intelligo ex contextu: quidquid ſit, charitatem oppugnas,

oppugnas,& verum ignem fatuo tuo igne ſuffocare geſtis : fateor, ſententia Theologorum Communiſſima, charitate imperfectâ hic contenta eſt, quamquam & perfectam charitatem requiſierint etiam Theologi non contemnendi, idque rationibus non contemnendis. Audi de hac re Paulum Comitolum è Socie. Reſp. moral. l. 1. q. 32. *Plures*, ait, *magnique Theologi in pænitente antequam abſolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt : nec uſque adeo certum eſt, attritionem pænitenti eſſe ſatis.*

Carpis ulterius immiſericordiæ qui opera pœnitentiæ abſolutioni præmittunt, qui indiſcretè abſolutionem differunt, &c. Carpis fortè Joannem Lugonem, qui diſputat. de Pœnit. ſect. 10. num. 168. & ſeq. ita ait. *Difficultas ergo eſſe poteſt, an poſſit eſſe cauſa rationabilis, aliquando ad differendam abſolutionem abſque conſenſu pœnitentis, licet ipſe aliunde credatur probabiliter eſſe nunc diſpoſitus.*

In quo procul dubio videtur vera Communis ſententia affirmans, cuius ratio deſumitur ex fundamento contrario, nam licet pænitens legitime diſpoſitus, confeſſione factâ, habeat ius ad ſententiam & abſolutionem, non tamen habet ius, ad hoc ut ſtatim proferatur ſententia. Poteſt enim iudex arbitrari, quomodo & quando debeat proferri ſententia. Et oſtenſo quomodo ante abſolutionem

poſſit monere & inſtruere pœnitentem, & medijs à recidiva, coërcere docet quod poterit eumdem aliquando ad tempus dimittere; imò & addit num. 170. *Confirmatur ex Communi Doctrina Theologorum, qui dicunt poſſe confeſſarium aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante abſolutionem, quod licet non poſſit facere per modum vindictæ & punitionis, poteſt ſaltem facere per modum medicinæ, quando iudicat id eſſe neceſſarium vel utile pœnitenti.* Pro quo quod aſſignat varios authores, *Imo* ait, *apud Græcos ſic ſolitum fieri, ut nemo ante expletam pænitentiam abſolveretur. dicit Palatius in 4. &c.* Rationem addit num: ſequenti, *Quia Confeſſarius non ſolum eſt iudex: ſed etiam medicus.* Formam hanc obſervant illi, quibus ſincera eſt ergò pænitentes dilectio, non illi forte, quibus de pænitentibus cura non eſt, qui omnes promiſcuè, non attentâ criminum gravitate, nec diſcuſſo pœnitentis ſtatu, perniciosâ indulgentiâ impoſito tertiò *Patsr & ave*, pænitentes cùm abſolutione dimittunt. Fateor & nimiâ auſteritate, & nimia benignitate hic poſſe peccari, ſed inter utrumque hic procedit confeſſarij diſcretio, qua, attentâ criminum gravitate, pænitentis ſtatu & conſiderandis conſideratis, nunc auſterius vinum exaſperans, nunc benignius, oleum emolliens pro varietate pænitentis novit adhibere.

Subindicas tamen, cuius partes agis, dum

dicis in hoc ſacramento miſericordiam ſuperexaltare iudicium. Ut video, ex illorum numero es, qui aſſerunt, Deum omnibus veræ pœnitentiæ auxilium impertiri, cui ſolum voluntate ſua debet pœnitens conſentire, qui dulciora ſemper pollicentur, & , ut uno verbo abſolvam, qui adulationis peſtem benignitatis nomine ſtudent palliare. Chryſologum tamen imploras, qui dicit, quod *ubi Deus, dominum mutavit in patrem, voluit charitate magis, quàm poteſtate regnare*, maxime in hoc tribunali; *& amari maluit, quam timeri.* Adeo ut alij *huic thronum miſericordiæ phanaticâ tuâ opinione commutent in carnificinam conſcientiæ*; Verùm quo te trahit ignis tuus fatuus? fatuus verè fatua loquetur. Ex foveâ, in quam fatuo tuo igne cecidiſti, erigat te DoctorAngelicus, qui comment: in 1. Tim: c. 6. lect: 2. vult in hoc tribunali aſſociari iudicium & miſericordiam, *quia primum*, ait, *ſine ſecundo, eſt, ſeveritas, ſecundum ſine primo, eſt remiſſio.* Diſpenſator ergò, id eſt confeſſarius, partes patrisfamilias hic agat, cui canit pſalmiſta pſalm: 100. *Miſericordiam & iudicium.* Rem clarius proponit S. Greg: l. 20. c. 6. mor: dum ait: *diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur: ſed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæviens diſciplina..... Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex*

utraque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur. Modus ille omnibus confeſſarijs perquam neceſſarius eſt, tam ijs qui charitatem impugnant, quàm qui eandem tuentur & propugnant. Charitas urget, ut proximi malum avertat confeſſarius, quod aliquando non niſi ſeverâ manu eſt arcendum. Medicus dum vulnus ſecare negligit, totum corpus perire ſinit. Conſidera ergo quod ait Tannerus tom.4 diſp. 6. 4. 9. num. 112. *Confeſſarius diligenter tanquam prudens diſpenſator caveat, nè margaritam abſolutionis projiciendo antè porcos, ſacrilegium committat, & peccatorum pœnitentis particeps fiat..... Quia certe inter aliàs cauſas, quare mundus tot iniquitatibus repleatur, hæc non videtur minima, quod confeſſarij tam facile abſolvant, quos ſua conſcientia & Deus ligatos tenet.* Charitatem ergo exige in hoc tribunali, ſed ordinatam, non fatuam, non ſimiam, quâ mater filios enecat & ſuffocat, dum teneriùs eos amplectitur: recordare, quod ſæpe hic uſu veniat, *blanda Patris ſegnes facit indulgentia natos.*

Attende & hoc Sapientis monitum: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Certè quantâ indulgentiâ, & inordinatâ charitate in hoc ſacroſancto miniſterio proceſſerint aliqui charitatis adverſarij, ſenſit jam dudum orbis chriſtianus, non ſine magno ſuo detrimento & animarum

pernicie

pernicie docentes & practicantes, licere dimidiatè confeſſos abſolvere ratione magni concurſus populi: non eſſe negandam abſolutionem ijs, qui in proximâ peccandi occaſione remanent, ſi eam deſerere aliter non poſſint, quin vel ſermonem dent populo, vel aliquid inde incommodi capiant: imo tales ſine ullâ ſpe emendationis eſſe abſolvendos, ſi ſolum ore confiteantur ſe dolere de præterito & cavere velle de futuro, etſi conijci poſſit, eiuſmodi promiſſa, labiorum potius eſſe, quàm cordis: quale dogma quondam dedit ſuavis ille Pater Baunius in ſumma pecc: p. 1084. & p. 1090. Quod non liceat pœnitentem interrogare de conſuetudine peccandi, quæ jam nuper cum alijs ex eadem ſchola exortis, anathematiſavit eccleſia, nè virus illud, etſi ſpecioſæ charitatis titulo conditum, ulterius ſerperet, de quibus infra. Hæc de charitate confeſſarij ergà pœnitentes.

Sed quid de ſatiſfactione? ſatis eſſe clamant charitatis inimici, ſi tertiò *Pater & ave* imponatur, etiam mortali peccato commacultatis, prout aliquos ex ſuggeſtu audivimus ratiocinantes: ſatis magnam ſubire pœnitentes pœnam, quod mulier v. g. honeſta, viro confeſſario animæ ſuæ ſtatum aperire debeat, & id genus alia, quibus populum mulcent, dum eumdem decipiunt. Aliud profectò Sancti Patres & Concilia commendant & iniungunt: dum

dum Conc. Trid. ſeſ. 14. c. 2. Pænitentiæ Sacramentum vocat *laborioſum baptiſma*, eo quod ad novitatem & integritatem vitæ, *ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus.* Attende illud S. Baſilij hom. in illud *attende tibi: magnum & grave eſt peccatum? multâ opus habes confeſſione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulſo & incontinenti ieiunio.* Et S. Cypr: ſerm: de lapſis: *quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit.* Nec ignorarunt illi, ſàt magnum onus eſſe confeſſionem: verùm, ut ait dictum Concil. ſeſ. 14. c. 5. *Ipſa vero huius confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolatiobus levaretur.* Nobis ergo, ut & omnibus in imponenda ſatiſfactione aſſignat hanc regulam idem Conc: c. 8. *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatiſfactiones iniungere, nè ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentius cùm pænitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatiſfactio quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum*

peccatorum

peccatorum vindictam & caſtigationem, cum claves ſacerdotum, non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui patres & credunt & docent. Quam bellè tria vel quatuor *pater & ave*, ut ſalutaris pœnitentia omnibus promiſcuè convenit? quàm iuſta pro peccatis quibuſlibet vindicta? qui, quoſque obvios paterna indulgentia abſolvunt, quàm ſibi credunt claves ad ligandum eſſe conceſſas? tales certè peccatis connivent, indulgentius cum pænitentibus agunt, leviſſima opera pro graviſſimis delictis iniungunt, undè & alienorum peccatorum fiunt participes. Huc ducit illos charitas illa inordinata & blanda indulgentia.

Sed quam ordinata & ſincera charitas ergà pœnitentes, cum ſe ſimulant fore patronos, ſingula pœnitentis negotia curioſius inquirendo, ut ſtatu pœnitentis agnito, ex eorum directione vel lucrum ſperent, vel favorem obtineant? quàm ordinata dilectio, quæ uni quæſtui inhiat, pœnitentes inducendo, ut hæreditates ſibi relinquant, etiam poſtpoſitis conſanguineis, quandoque indigentibus? ignis revera fatuus, qui terræ incumbit, viſcoſa & lurida loca perſcrutatur & obambulat. Remitto alia ubique perquam obuia & notiſſima.

Articulus. 15.

ARTICULUS. XV.

Quæ charitas ſervanda in dandâ eleemoſyna.

INgens eſt querela, quam annectis fol 38. Quæ penè commiſerationem moveat: videntur aliqui, hæreditatibus à te perceptis litem movere, & acceptis (ſive iuſtè, ſive iniuſtè, neſcio, Deus ſcit) te velle ſpoliare. Neminem tamen ſanæ mentis Theologum eouſque deveniſſe novimus, ut templa *ſacrilego*(ut ais) *pietatis ſenſu, ſuis mobilibus ſpoliari deſideret*, niſi fortè mobilia illa forent iniuſtè acquiſita. Multos ſcio cum S. Eliſabetha continuò inclamare, maiorem habendam eſſe curam templorum vivorum, quam mortuorum; quos tu fortè cum Iuda dicis aſſerere, *poſſunt hæc venumdari tanto, & dari pauperibus.* Noti ſunt illi, qui non habita pauperum conſanguineorum ratione, per fas & nefas pingues & opulentas hæreditates ineunt, non ſine magno populi ſcandalo & amicorum iniuriâ. Similibus non indiget Domus Domini, niſi fortè velint ſibi amicos facere de mammona iniquitatis, qui eos recipiant, non in cæleſtia, ſed terrena tabernacula, dum favorem populi venantur, aulas omnes ſibi devincire ſtudent. Quæ ſimili machinatione recepta ſunt, pauperibus debētur, quibus dum Deum colere ſimulant, idolo avari-

tiæ

tiæ ſatiſfaciunt. Audi Chryſoſtomum hom: 60. ad Pop.. Ant. *Vis Chriſti corpus honorare? nè nudum eum deſpicias, nè eum hic* (in templo) *quidem ſericis honores veſtibus, extra vero gelu & nuditate pereuntem deſpicias.* Audi familiare S. Auguſtini dictum ſerm: 49. *Quicumque exhæredato filio eccleſiam vult facere hæredem, quærat alium, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imò Deo propitio neminem inveniat. Neque vero* (ut cum D. Hieronimo ad nepotian: loquar) *mihi aliquis opponat dives in Iudæa templum, menſam, lucernas, thuribula &c. ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecorum erat redemptio peccatorum, hoc eſt, quando carnalis lex vigebat, quæ in præmium obſervationis ſuæ permittebat abundantiam rerum temporalium, & ideo congruebat illam in ædificatione templi ſumptuoſiſſimi oſtentari.* Quæ omnia à SS. Patribus Dicta ſunt, non in deſpectum divini cultus, quem cultum unicè promovebant: Sed nè ſuperfluâ opulentiâ templorum, egenorum cura & miſericordia flacceſceret & teperet. Notabant illos, qui ſub blando pietatis titulo, omnia etiam pauperum bona congregabant, qui numquam dicebant, *ſufficit*: qui cum ſcribis & phariſæis math. 15. dicunt, *munus quodcumque eſt ex nobis, tibi proderit*, & interim non honorificant patrem aut amicos quandoque indigentes, unde irritum faciunt mandatum Dei

propter

propter traditionem eorumdem : de quibus bene prophetavit Iſaias dicens : *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Egregium vobis hac in re ſuppeditat exemplum S. Auguſt., qui in pauperum inopia vaſa dominica frangi iuſſit, & conflari, ut eorumdem indigentiæ ſubveniret : Dedit & ſimile S. Ambroſius ab Auguſtino apud poſſid: in eius vita c. 24 laudatus : dedit & Acacius apud Socratem l. 7. c. 21. Cæſarius arelatenſis &c. Hos imitare, & verum charitatis ignem in te accendes.

Vana tamen & exaſperans eſt tua hæc exprobatio, quâ eccleſiaſticos reditus in pauperes dicis eſſe largiendos, veſtimentis, in ſcrinijs tineâ corruptis, nudos dicis operiendos. Si de reditibus debitam ſuſtentationem excedentibus ediſſeris, optimè quidem argumentaris. Idem eſt de veſtibus ſuperfluis. Hæc tamen tua monitio tibi fortè ut pauperi redituum illorum ſuperexcedentium quæſtum implorat, dum ſatis eſt, quâ viâ hæreditas aut larga munera nanſciſcaris. Nec eſt, quod in reditus illos dentes acuas ; notum eſt quantâ aviditate quondam redituum ſimilium, & præſertim Abbatiarum alibi expetiviſtis emolumenta, idque ficto pietatis & paupertatis titulo, quo tamen effectu,

fectu, novit Brabantia & Germania. Hæc ergo ſit norma charitatis, dare pauperibus ſuperflua, quo caſu & Chriſto datur quod illis conceditur, nam *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis,* ait Salvator Math. 25. Oppones fortè & vos pauperes, quibus proindè Elemoſynam poſſint elargiri, non diffiteor; ſed in memoriam revoca, quod qui ficto paupertatis titulo eleemoſynas corradunt, reſtitutioni ſint obnoxij. Multi ſe pauperes ſimulant, imò pauperie magis alijs eminere ſe gloriantur, quos interim luxuriari, ſeſe alijs faſtuoſo ſupercilio efferre vident univerſi, ubi tamen tres ſpecies odivit anima Sapientis, quarum prima eſt, *pauperem ſuperbum*, Eccl. 25.

ARTICULUS XVI.

Quinam Antiquitatem novellæ opinioni poſtponant.

REctè admodum fol. 10. in Fatuo tuo Igne loqueris: *Non ſubdit profectò maiora minoribus, qui ſacroſanctam venerandamque antiquitatem nouellæ ſuorum opinioni poſtponit.* At quinam illi? illos innuis, qui ubique in omnibus operibus affectum charitatis agnoſcunt, quo opera eiuſmodi Dei gloriam referant. Illi profectò antiquitatem novitati non poſtponunt, qui talem ſententiam, ab ipſa æterna lege, ab Apoſtolo, à SS. Patribus & Doctoribus

acceperunt & didicerunt, uti pluribus antè oſtendi. Contrarij proindè eius opinioni, talis impoſturæ rei ſunt, qui Apoſtolicum præceptum temerario auſu vertunt in conſilium. Verum penitius inveſtigemus, quinam venerandam antiquitatem novitati poſtponant: nonnè illi ſunt, qui inconditis ſuis probabilitatibus totius Theologiæ moralis puritatem conſpurcârunt? tot retrò ſæculis inviolata ſtetit theologica ſchola, una erat omnium vox, *in dubijs tutiorem partem eſſe ſequendam, non amandum eſſe periculum in negotio ſalutis:* donec tandem probabilitatis monſtrum, principia illa abiurare cæpit, & pro practicè certo venditare, quod ſpecultativè vel unius authoris teſtimonio eſſet probabile. Hanc in omni morali materia, ut firmum fundamentum adhibebant, nullâ attentâ aut habitâ ratione religionis ſacramentorum, Iuſtitiæ, aut periculi damnationis æternæ, undè & illam etiam in articulo mortis adhiberi poſſe, audaci calamo præſcribebant. Nè autem aliqua falſò affigere me calumnientur aliqui, adeant, qui volunt, Eſcobarium è Societate, & alios in theſibus & libris quam plurimos eiuſdem & diverſi gremij. Nonnè hæc ſumma novitas, Patribus inaudita?

Aliam novitatem dant plurimi, qui docent voluptatem licitè poſſe propter ſe appeti, quibus charitas eſt exoſa niſi fortè ex Epicu-

ræorum

reorum ſchola ſatis antiquâ, illud dogma mutuare velint. Contrarium enim docuit tota ſemper antiquitas, omnes Sancti Patres & Doctores, quibus quorundam novaturientium opinio, dudum ſeſe opponere conata eſt, ſed infauſto exitu, de quo poſtea.

Similem novitatem adinvenit quorundam prudentia, ſed mundana & carnalis, quæ duplicitatem & mendacium ſpecioſo reſtrictionis mentalis nomine licita reddere conati ſunt. Aliud nos docet æterna veritas, dum præcipit, ut ſermo noſter ſit, *eſt*, *eſt*, *non*, *non*: nuda eſt veritas, ambages refugit. Quinam huius opinionis ſint Patroni, novit vulgus.

Nonnè novitatem antiquitati præponunt, qui aliquando docuerunt, nos non teneri proximum diligere actu interno & formali? ex animo, in ſimplicitate, in veritate proximos diligendos eſſe, nos docet lex æterna vetuſtiſſima, monet S. Auguſtinus & alij SS. Patres, cor eſſe interrogandum; & ſiquidem ibidem eſt dilectio fratris, ſecuritatem ſpondent. Alij è contrà verè Novatores amoris cortice contenti ſunt, & Ignem Fatuum divendunt.

An illi antiquitatem præponunt novitati, qui nequidem in regibus ſuperfluum agnoſcunt, ubi tamen teſte S. Auguſtino, *multa ſuperflua habemus, ſi non niſi neceſſaria retineamus?*

Nonne ducuntur novitatis prurigine, qui in

ſimoniis, contractibus, iuramentis, beneficijs & alijs omnia licita fabricare noſcunt, adhibito reſtrictionis, probabilitatis & id genus aliorum patrocinio, quibus novellis adinventionibus nuperrime obſtitit Sanctiſſ. Pater in condemnatoria bulla;

Nec in materia ſpeculativa ſuas partes omittit Novatorum illorum prurigo: novum aliquem & inauditum, ut ipſe fatetur Molina, excogitavit modum conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate per ſuam *Scientiam mediam*: opportunum certè medium, à Pelagianis inſinuatum. De eo glorientur illi, qui S. Auguſtinum impugnant. Quam vero illud medium ſit novum, audi de eo teſtimonium P. Typhanij Soc. l. de ord. c. 24. ubi ait. *Nullum theologum ante Molinam nè per ſomnium quidem de ſcientia media cogitaſſe, neque eam uſlibi vel adhibuiſſe, ad ullam ſive Scriptura S. ſive theologia ſcholaſtica difficultatem expediendam.*

Ulterius, quam vetus ſit de ſufficientia attritionis formidoloſæ opinio, ecce ex morino antiquitatum inveſtigatore accuratiſſimo: ita enim habet l. 8. de pœnit. c. 4. *Quod attritio ex ſola formidine concepta, taliſque à pœnitente cognita, & immutatè ſe habens, legitima & ſufficiens ſit præparatio ad gratiam in Sacramento ſuſcipiendam, authores fuerunt Melchior Canus, Franciſci Victoria diſcipulus, & Henricus quidam Salmaticenſis Doctor: ante hos neminem legi qui*

ſic doceret aut docere perhiberetur : hæc quæſtio eſt planè nova, & omnibus ſcholaſticis ante hoc ſæculum incognita, ut rectè annotavit Alexander Peſantius, hæc ille.

Vide, quo iure adverſarios tuos novitatis inſimules: eo fortaſſe, quod opiniones eorum, longo temporis tractu quaſi oblitteratæ, denuo & de novo referuntur in lucem, adeo ut fortè hac ratione eas indigitent noviter adinventas, id eſt recognitas, etſi ab ipſo Eccleſiæ primordio edoctæ ſint & præſcriptæ. Similem zelum video in Iudæis tempore Chriſti, Salvatoris doctrina, quam prædicabat, erat æterna, & tamen ad eiuſdem prædicationem ſonat vox omnium: *quidnam eſt hoc ? quænam doctrina hæc nova?* Marc. 1.

Aliam novitatem jure damnant, quæ ſanctorum Patrum placitis valedicit, quæ recentiores ſupra veteres intelligere jactat, quæ itinere vix trito incedit, undè impingit in vijs ſuis, quam novitatem eliminavit Eccleſia, nè & ſibi & Politico regimini ſcandalum & detrimentum crearet: nam ut docet S. Auguſt. l. 3. de civit: c. 23. Tantum detrimentum cauſat opinionum novitas, ut & ipſam reipublicæ pacem perturbet, prout ibidem demonſtrat in diſcordia civili, quam Grachiæ ſeditiones excitabant. Notet tamen quod mecum notat Banneſius, ſententias veriſſimas aliquando pro tempore occultari, quo fit, ut minus commu-

poſſit monere & inſtruere pœnitentem, & medijs à recidiva, coërcere docet quod poterit eumdem aliquando ad tempus dimittere; imò & addit num. 170. *Confirmatur ex Communi Doctrina Theologorum, qui dicunt poſſe confeſſarium aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante abſolutionem, quod licet non poſſit facere per modum vindictæ & punitionis, poteſt ſaltem facere per modum medicinæ, quando iudicatid eſſe neceſſarium vel utile pœnitenti.* Pro quo quod aſſignat varios authores, *Imo* ait, *apudGræcos ſic ſolitum fieri, ut nemo ante expletam pænitentiam abſolveretur. dicit Palatius in* 4. *&c.* Rationem addit num: ſequenti, *Quia Confeſſarius non ſolum eſt iudex: ſed etiam medicus.* Formam hanc obſervant illi, quibus ſincera eſt ergò pænitentes dilectio, non illi forte, quibus de pænitentibus cura non eſt, qui omnes promiſcuè, non attentâ criminum gravitate, nec diſcuſſo pœnitentis ſtatu, perniciosâ indulgentiâ impoſito tertiò *Patsr & ave*, pænitentes cùm abſolutione dimittunt. Fateor & nimiâ auſteritate, & nimia benignitate hic poſſe peccari, ſed inter utrumque hic procedit confeſſarij diſcretio, qua, attentâ criminum gravitate, pænitentis ſtatu & conſiderandis conſideratis, nunc auſterius vinum exaſperans, nunc benignius, oleum emolliens pro varietate pænitentis novit adhibere.

Subindicas tamen, cuius partes agis, dum dicis

dicis in hoc ſacramento miſericordiam ſuper-exaltare iudicium. Ut video, ex illorum numero es, qui aſſerunt, Deum omnibus veræ pœnitentiæ auxilium impertiri, cui ſolum voluntate ſua debet pœnitens conſentire, qui dulciora ſemper pollicentur, & , ut unó verbo abſolvam, qui adulationis peſtem benignitatis nomine ſtudent palliare. Chryſologum tamen imploras, qui dicit, quod *ubi Deus, dominum mutavit in patrem, voluit charitate magis, quàm poteſtate regnare*, maxime in hoc tribunali; *& amari maluit, quam timeri.* Adeo ut alij *huic thronum miſericordiæ phanaticâ tuâ opinione commutent in carnificinam conſcientiæ*; Verùm quo te trahit ignis tuus fatuus? fatuus verè fatua loquetur. Ex foveâ, in quam fatuo tuo igne cecidiſti, erigat te DoctorAngelicus, qui comment: in 1. Tim: c. 6. lect: 2. vult in hoc tribunali aſſociari iudicium & miſericordiam, *quia primum*, ait, *ſine ſecundo, eſt, ſeveritas, ſecundum ſine primo, eſt remiſsio.* Diſpenſator ergò, id eſt confeſſarius, partes patrisfamilias hic agat, cui canit pſalmiſta pſalm: 100. *Miſericordiam & iudicium.* Rem clarius proponit S. Greg; l. 20. c. 6. mor: dum ait: *diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur: ſed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſaviens diſciplina..... Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex*

 utraque

utraque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur. Modus ille omnibus confeſſarijs perquam neceſſarius eſt, tam ijs qui charitatem impugnant, quàm qui eandem tuentur & propugnant. Charitas urget, ut proximi malum avertat confeſſarius, quod aliquando non niſi ſeverâ manu eſt arcendum. Medicus dum vulnus ſecare negligit, totum corpus perire ſinit. Conſidera ergo quod ait Tannerus tom. 4 diſp. 6. 4. 9. num. 112. *Confeſſarius diligenter tanquam prudens diſpenſator caveat, nè margaritam abſolutionis projiciendo antè porcos, ſacrilegium committat, & peccatorum pœnitentis particeps fiat..... Quia certe inter aliàs cauſas, quare mundus tot iniquitatibus repleatur, hæc non videtur minima, quod confeſſarij tam facile abſolvant, quos ſua conſcientia & Deus ligatos tenet.* Charitatem ergo exige in hoc tribunali, ſed ordinatam, non fatuam, non ſimiam, quâ mater filios enecat & ſuffocat, dum teneriùs eos amplectitur: recordare, quod ſæpe hic uſu veniat, *blanda Patris ſegnes facit indulgentia natos.*

Attende & hoc Sapientis monitum: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Certè quantâ indulgentiâ, & inordinatâ charitate in hoc ſacroſancto miniſterio proceſſerint aliqui charitatis adverſarij, ſenſit jam dudum orbis chriſtianus, non ſine magno ſuo detrimento & animarum

pernicie

pernicie docentes & practicantes, licere dimidiatè confeſſos abſolvere ratione magni concurſus populi: non eſſe negandam abſolutionem ijs, qui in proximâ peccandi occaſione remanent, ſi eam deſerere aliter non poſſint, quin vel ſermonem dent populo, vel aliquid inde incommodi capiant: imo tales ſine ullâ ſpe emendationis eſſe abſolvendos, ſi ſolum ore confiteantur ſe dolere de præterito & cavere velle de futuro, etſi conijci poſſit, eiuſmodi promiſſa, labiorum potius eſſe, quàm cordis: quale dogma quondam dedit ſuavis ille Pater Baunius in ſumma pecc: p. 1084. & p. 1090. Quod non liceat pœnitentem interrogare de conſuetudine peccandi, quæ jam nuper cum alijs ex eadem ſchola exortis, anathematiſavit eccleſia, nè virus illud, etſi ſpecioſæ charitatis titulo conditum, ulterius ſerperet, de quibus infra. Hæc de charitate confeſſarij ergà pœnitentes.

Sed quid de ſatiſfactione? ſatis eſſe clamant charitatis inimici, ſi tertiò *Pater & ave* imponatur, etiam mortali peccato commaculatis, prout aliquos ex ſuggeſtu audivimus ratiocinantes: ſatis magnam ſubire pœnitentes pœnam, quod mulier v. g. honeſta, viro confeſſario animæ ſuæ ſtatum aperire debeat, & id genus alia, quibus populum mulcent, dum eumdem decipiunt. Aliud profectò Sancti Patres & Concilia commendant & iniungunt: dum

dum Conc. Trid. ſeſ. 14. c. 2. Pænitentiæ Sacramentum vocat *laborioſum baptiſma*, eo quod ad novitatem & integritatem vitæ, *ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus.* Attende illud S. Baſilij hom. in illud *attende tibi: magnum & grave eſt peccatum? multâ opus habes confeſſione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulſo & incontinenti ieiunio.* Et S. Cypr: ſerm: de lapſis: *quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit.* Nec ignorarunt illi, ſat magnum onus eſſe confeſſionem: verùm, ut ait dictum Concil. ſeſ. 14. c. 5. *Ipſa vero huius confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolatiobus levaretur.* Nobis ergo, ut & omnibus in imponenda ſatiſfactione aſſignat hanc regulam idem Conc: c. 8. *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatiſfactiones iniungere, nè ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentius cùm pænitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatornm participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatiſfactio quam imponunt, non ſit tantum ad nova vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum*

peccatorum vindictam & caſtigationem, cum claves ſacerdotum, non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui patres & credunt & docent. Quam bellè tria vel quatuor *pater & ave*, ut ſalutaris pœnitentia omnibus promiſcuè convenit? quàm iuſta pro peccatis quibuſlibet vindicta? qui, quoſque obvios paterna indulgentia abſolvunt, quàm ſibi credunt claves ad ligandum eſſe conceſſas? tales certè peccatis connivent, indulgentius cum pænitentibus agunt, leviſſima opera pro graviſſimis delictis iniungunt, undè & alienorum peccatorum fiunt participes. Huc ducit illos charitas illa inordinata & blanda indulgentia.

Sed quam ordinata & ſincera charitas ergà pœnitentes, cum ſe ſimulant fore patronos, ſingula pœnitentis negotia curioſius inquirendo, ut ſtatu pœnitentis agnito, ex eorum directione vel lucrum ſperent, vel favorem obtineant? quàm ordinata dilectio, quæ uni quæſtui inhiat, pœnitentes inducendo, ut hæreditates ſibi relinquant, etiam poſtpoſitis conſanguineis, quandoque indigentibus? ignis revera fatuus, qui terræ incumbit, viſcoſa & lurida locaperſcrutatur & obambulat. Remitto alia ubique perquam obuia & notiſſima.

ARTICULUS. XV.

Quæ charitas ſervanda in dandâ eleemoſynâ.

INgens eſt querela, quam annectis fol 38. Quæ penè commiſerationem moveat: videntur aliqui, hæreditatibus à te perceptis litem movere, & acceptis (ſive iuſtè, ſive iniuſtè, neſcio, Deus ſcit) te velle ſpoliare. Neminem tamen ſanæ mentis Theologum eouſque deveniſſe novimus, ut templa *ſacrilego* (ut ais) *pietatis ſenſu, ſuis mobilibus ſpoliari deſideret*, niſi fortè mobilia illa forent iniuſtè acquiſita. Multos ſcio cum S. Eliſabetha continuò inclamare, maiorem habendam eſſe curam templorum vivorum, quam mortuorum; quos tu fortè cum Iuda dicis aſſerere, *poſſunt hæc venumdari tanto, & dari pauperibus*. Noti ſunt illi, qui non habita pauperum conſanguineorum ratione, per fas & nefas pingues & opulentas hæreditates ineunt, non ſine magno populi ſcandalo & amicorum iniuriâ. Similibus non indiget Domus Domini, niſi fortè velint ſibi amicos facere de mammona iniquitatis, qui eos recipiant, non in cæleſtia, ſed terrena tabernacula, dum favorem populi venantur, aulas omnes ſibi devincire ſtudent. Quæ ſimili machinatione recepta ſunt, pauperibus debētur, quibus dum Deum colere ſimulant, idolo avari-

tiæ

tiæ ſatiſfaciunt. Audi Chryſoſtomum hom: 60. ad Pop. Ant. *Vis Chriſti corpus honorare? nè nudum eum deſpicias, nè eum hic* (in templo) *quidem ſericis honores veſtibus, extra vero gelu & nuditate pereuntem deſpicias.* Audi familiare S. Auguſtini dictum ſerm: 49. *Quicumque exhæredato filio eccleſiam vult facere hæredem, quærat alium, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imò Deo propitio neminem inveniat. Neque vero* (ut cum D. Hieronimo ad nepotian: loquar) *mihi aliquis opponat dives in Iudæa templum, menſam, lucernas, thuribula &c. ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecorum erat redemptio peccatorum, hoc eſt, quando carnalis lex vigebat, quæ in præmium obſervationis ſuæ permittebat abundantiam rerum temporalium, & ideo congruebat illam in ædificatione templi ſumptuoſiſſimi oſtentari.* Quæ omnia à SS. Patribus Dicta ſunt, non in deſpectum divini cultus, quem cultum unicè promovebant: Sed nè ſuperfluâ opulentiâ templorum, egenorum cura & miſericordia flacceſceret & teperet. Notabant illos, qui ſub blando pietatis titulo, omnia etiam pauperum bona congregabant, qui numquam dicebant, *ſufficit*: qui cum ſcribis & phariſæis math. 15. dicunt, *munus quodcumque eſt ex nobis, tibi proderit*, & interim non honorificant patrem aut amicos quandoque indigentes, unde irritum faciunt mandatum Dei

propter

propter traditionem eorumdem : de quibus bene prophetavit Iſaias dicens : *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Egregium vobis hac in re ſuppeditat exemplum S. Auguſt. qui in pauperum inopia vaſa dominica frangi iuſſit, & conflari, ut eorumdem indigentiæ ſubveniret : Dedit & ſimile S. Ambroſius ab Auguſtino apud poſſid: in eius vita c. 24 laudatus : dedit & Acacius apud Socratem l. 7. c. 21. Cæſarius arelatenſis &c. Hos imitare, & verum charitatis ignem in te accendes.

Vana tamen & exaſperans eſt tua hæc exprobatio, quâ eccleſiaſticos reditus in pauperes dicis eſſe largiendos, veſtimentis, in ſcrinijs tineâ corruptis, nudos dicis operiendos. Si de reditibus debitam ſuſtentationem excedentibus ediſſeris, optimè quidem argumentaris. Idem eſt de veſtibus ſuperfluis. Hæc tamen tua monitio tibi fortè ut pauperi redituum illorum ſuperexcedentium quæſtum implorat, dum ſatis eſt, quâ viâ hæreditas aut larga munera nanſciſcaris. Nec eſt, quod in reditus illos dentes acuas ; notum eſt quantâ aviditate quondam redituum ſimilium, & præſertim Abbatiarum alibi expetiviſtis emolumenta, idque ficto pietatis & paupertatis titulo, quo tamen ef-

fectu,

fectu, novit Brabantia & Germania. Hæc ergo ſit norma charitatis; dare pauperibus ſuperflua, quo caſu & Chriſto datur quod illis conceditur; nam *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, ait Salvator Math. 25. Oppones fortè & vos pauperes, quibus proindè Elemoſynam poſſint elargiri, non diffiteor; ſed in memoriam revoca, quod qui ficto paupertatis titulo eleemoſynas corradunt, reſtitutioni ſint obnoxij. Multi ſe pauperes ſimulant, imò pauperie magis alijs eminere ſe gloriantur, quos interim luxuriari, ſeſe alijs faſtuoſo ſupercilio efferre vident univerſi, ubi tamen tres ſpecies odivit anima Sapientis, quarum prima eſt, *pauperem ſuperbum*, Eccl. 25.

ARTICULUS XVI.

Quinam Antiquitatem novellæ opinioni poſtponant.

REçtè admodum fol. 10. in Fatuo tuo Igne loqueris: *Non ſubdit profecto maiora minoribus, qui ſacroſanctam venerandamque antiquitatem nouellæ ſuorum opinioni poſtponit.* At quinam illi? illos innuis, qui ubique in omnibus operibus affectum charitatis agnoſcunt, quo opera eiuſmodi Dei gloriam referant. Illi profectò antiquitatem novitati non poſtponunt, qui talem ſententiam, ab ipſa æterna lege, ab Apoſtolo, à SS. Patribus & Doctoribus

acceperunt & didicerunt, uti pluribus antè oſtendi. Contrarij proindè eius opinioni, talis impoſturæ rei ſunt, qui Apoſtolicum præceptum temerario auſu vertunt in conſilium. Verum penitius inveſtigemus, quinam venerandam antiquitatem novitati poſtponant: nonnè illi ſunt, qui inconditis ſuis probabilitatibus totius Theologiæ moralis puritatem conſpurcârunt? tot retrò ſæculis inviolata ſtetit theologica ſchola, una erat omnium vox, *in dubijs tutiorem partem eſſe ſequendam, non amandum eſſe periculum in negotio ſalutis:* donec tandem probabilitatis monſtrum, principia illa abiurare cæpit, & pro practicè certo venditare, quod ſpecultativè vel unius authoris teſtimonio eſſet probabile. Hanc in omni morali materia, ut firmum fundamentum adhibebant, nullâ attentâ aut habitâ ratione religionis ſacramentorum, Iuſtitiæ, aut periculi damnationis æternæ, undè & illam etiam in articulo mortis adhiberi poſſe, audaci calamo præſcribebant. Nè autem aliqua falſò affigere me calumnientur aliqui, adeant, qui volunt, Eſcobarium è Societate, & alios in theſibus & libris quam plurimos eiuſdem & diverſi gremij. Nonnè hæc ſumma novitas, Patribus inaudita?

Aliam novitatem dant plurimi, qui docent voluptatem licitè poſſe propter ſe appeti, quibus charitas eſt exoſa niſi fortè ex Epicu-

ræorum

reorum ſchola ſatis antiquâ, illud dogma mutuare velint. Contrarium enim docuit tota ſemper antiquitas, omnes Sancti Patres & Doctores, quibus quorumdam novaturientium opinio, dudum ſeſe opponere conata eſt, ſed infauſto exitu, de quo poſtea.

Similem novitatem adinvenit quorumdam prudentia, ſed mundana & carnalis, quæ duplicitatem & mendacium ſpecioſo reſtrictionis mentalis nomine licita reddere conati ſunt. Aliud nos docet æterna veritas, dum præcipit, ut ſermo noſter ſit, *eſt, eſt, non, non*: nuda eſt veritas, ambages refugit. Quinam huius opinionis ſint Patroni, novit vulgus.

Nonnè novitatem antiquitati præponunt, qui aliquando docuerunt, nos non teneri proximum diligere actu interno & formali? ex animo, in ſimplicitate, in veritate proximos diligendos eſſe, nos docet lex æterna vetuſtiſſima, monet S. Auguſtinus & alij SS. Patres, cor eſſe interrogandum; & ſiquidem ibidem eſt dilectio fratris, ſecuritatem ſpondent. Alij è contrà verè Novatores amoris cortice contenti ſunt, & Ignem Fatuum divendunt.

An illi antiquitatem præponunt novitati, qui nequidem in regibus ſuperfluum agnoſcunt, ubi tamen teſte S. Auguſtino, *multa ſuperflua habemus, ſi non niſi neceſſaria retineamus?*

Nonne ducuntur novitatis prurigine, qui in

 ſimoniis,

ſimoniis, contractibus, iuramentis, beneficijs & alijs omnia licita fabricare noſcunt, adhibito reſtrictionis, probabilitatis & id genus aliorum patrocinio, quibus novellis adinventionibus nuperrime obſtitit Sanctiſſ. Pater in condemnatoria bulla ;

Nec in materia ſpeculativa ſuas partes omittit Novatorum illorum prurigo: novum aliquem & inauditum, ut ipſe fatetur Molina, excogitavit modum conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate per ſuam *Scientiam mediam*: opportunum certè medium, à Pelagianis inſinuatum. De eo glorientur illi, qui S. Auguſtinum impugnant. Quam vero illud medium ſit novum, audi de eo teſtimonium P. Typhanij Soc. l. de ord. c. 24. ubi ait. *Nullum theologum ante Molinam nè per ſomnium quidem de ſcientia media cogitaſſe, neque eam ullibi vel adhibuiſſe, ad ullam ſive Scripturæ S. ſive theologiæ ſcholaſticæ difficultatem expediendam.*

Ulterius, quam vetus ſit de ſufficientia attritionis formidoloſæ opinio, ecce ex morino antiquitatum inveſtigatore accuratiſſimo: ita enim habet l. 8. de pœnit. c. 4. *Quod attritio ex ſola formidine concepta, taliſque à pœnitente cognita, & immutatè ſe habens, legitima & ſufficiens ſit præparatio ad gratiam in Sacramento ſuſcipiendam, authores fuerunt Melchior Canus, Franciſci Victoriæ diſcipulus, & Henricus quidam Salmaticenſis Doctor: ante hos neminem legi qui*

ſic

ſic doceret aut docere perhiberetur : hac quaſtio eſt planè nova, & omnibus ſcholaſticis ante hoc ſaculum incognita, ut rectè annotavit Alexander Peſantius, hæc ille.

Vide, quo iure adverſarios tuos novitatis inſimules: eo fortaſſe, quod opiniones eorum, longo temporis tractu quaſi oblitteratæ, denuo & de novo referuntur in lucem, adeo ut fortè hac ratione eas indigitent noviter adinventas, id eſt recognitas, etſi ab ipſo Eccleſiæ primordio edoctæ ſint & præſcriptæ. Similem zelum video in Iudæis tempore Chriſti, Salvatoris doctrina, quam prædicabat, erat æterna, & tamen ad eiuſdem prædicationem ſonat vox omnium: *quidnam eſt hoc ? quanam doctrina hac nova?* Marc. 1.

Aliam novitatem jure damnant, quæ ſanctorum Patrum placitis valedicit, quæ recentiores ſupra veteres intelligere jactat, quæ itinere vix trito incedit, undè impingit in vijs ſuis, quam novitatem eliminavit Eccleſia, nè & ſibi & Politico regimini ſcandalum & detrimentum crearet: nam ut docet S. Auguſt. l. 3. de civit: c. 23. Tantum detrimentum cauſat opinionum novitas, ut & ipſam reipublicæ pacem perturbet, prout ibidem demonſtrat in diſcordia civili, quam Grachiæ ſeditiones excitabant. Notet tamen quod mecum notat Banneſius, ſententias veriſſimas aliquando pro tempore occultari, quo fit, ut minus commu-

nes habeantur, poſteà vero rurſum ut ſolidæ proponuntur. Verum de his ſatis, ad alia properemus.

ARTICULUS XVII.

Quinam Doctores viam vitæ in veritate doceant.

QUàm opportunè fol. 11. annectis: *Non diligit ſanè, quod diligendum eſt, qui non diligit veritatem, quæ omnibus diligenda eſt, & maximè Theologis* &c. Rectiſſimè: ſed age, dic ſodes, an illi veritatem diligant, qui duplicem falſitatem pro veritate, ſpecioſo reſtrictionis fuco venditare ſtudent? quibus nihil adeò ſincerum, quin hoc artificio facilè poſſet eludi? veritas nuda eſt, ut diximus; eiuſmodi artificium, veritatis peſtem nuncupa, nec aberrabis. Ut tamen clarius pateat, quinam veritatem diligant in docendo, notandum eſt, quod communi populi voce inſonat: *Veritas odium parit*: nec mirum, cùm veritas increata, mundi maximis ſit contraria. Ipſa veritas prædicabat jam incarnata, & ſtatim auditur, *dæmonium habet*: Joannes præcurſor veritatem libero ore annuntiat,& cervicem amittit, de quo ita S. Auguſt. ſerm. 36. de Sanctis: *Ioannes propter iuſtitiam perdidit vitam, ſed lucratus eſt gloriam: quia plena & perfecta libertate maluit iniuſta ſuſtinere, quàm iuſta non dicere.*

cere. Exemplo ſuo idem didicit Apoſtolus dicens ad Gal. 4. *Inimicus vobis factus ſum verum dicens:* Perdiderunt Prophetæ vitam & favores, dum veritatem prædicarunt. Apertum ergò eſt veræ doctrinæ ſignum, ſi mundus vos odit, cujus amicitia, inimicitia eſt apud Deum. Pulchrè id declarat Laurent. Juſt. faſcic. amoris c. 11. ita diſſerens: *Quoniam veritatem facitis, veritatiſque diſcipuli effecti eſtis, mundus vos odit, ſicut & me. Nam ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret.* Ex quibus jam indè apertè colliges, quinam viam vitæ in veritate doceant, illi ſcilicet, quos mundus odit, & execratur, quales paſsim ſunt illi, quos Altioris Spiritus, Janſeniſmi, &c. nomine divendunt, à quibus tamquam ſibi contrarijs abhorreſcunt: econtrà placet eorum diſciplina, qui etiam peccatores maximos, conſuetudinarios, & alia monſtra, nè levi quidem exhortatione à peccatis deterrent, ſed in peccatorum lethifero ſomno miſerè ſinunt obdormire. Hinc eſt, quod alios mundo magis exoſos reddant, vulgus ad eccleſias ſuas, pernicioſa affabilitate convocent, omnibus aſſentiantur, cuicumq; vitio pallium accommodantes, & immaniſſima ſcelera, neſcio quo artificio, excuſantes. Hi ſunt, qui doctrinam ſuam ad populi beneplacitum, ut cereum naſum accommodant, ſoli populi favori intenti, ſcientes communem eſſe hodie populi vocem,

loquimini nobis placentia. Iſaiæ 30. Lubet adferre quod deplorat Philo Carphatiorum Epiſc. in Cant. fol. 569. bibl. SS. PP. tomo 1. dicens : *Miſeri Chriſtiani, quotidie per aſſentationem prædicantium infeliciſſime pereunt: hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, quâ ſingulæ fideles animæ in dies magis ac magis turpiter inficiuntur..... Hi ſunt, qui peccata populorum devorant, cùm ſcelera reprehendere non audeant, vel ob munera peritùra accommoda vel ob gratiam & amicitiam pro ſavorum ac divitum, quos ſibi venantur, vel ob humanam laudem & gloriam, vel ob metum amittendi terrena bona & fomenta gulæ ac luxus, vel dum (ignavi ac tepidi) calumnias pro Chriſto Ieſu, opprobria, verbera, carceres, exilia, mortemque timemus: at veri Chriſti ſervi & bellatores omnibus obſtare audent, pro veritate dicenda & conſervanda; nihil extimeſcunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil aſſentantur, ſed honeſta omnia ac ſancta & vera prædicant, vitia omnia acerrime inſectantur, atque reprehendunt, vel regum vel principum : nullis (niſi bonis & Deo) placere ſtudent. Hiſce peccatoribus murum opponunt, ut idem Propheta (Ezechiel) monet..... Teterrima peſtis urbibus aſſentatorum vita, tabificus morbus eorum conſuetudo adoleſcentibus, domibus ruina, monaſterijs everſio, chriſtianæ religioni extrema calamitas, omniumque malorum ſeminarium & origo. Ab his falſis cuſtodibus eccleſiæ, longiſſime fugiat omnis anima fidelis : ab his declinet, horum mores*

peroſi

peroſi boni viri, ad illos ſolos confugiant, à quibus non laudari, ſed obiurgari vel corripi malos intelligunt, his ſe credant, ab his moneri & erudiri ad ſalutem velint: Hucuſque Philo. Habes hic propriam adulatorum conditionem, quos vulgus laudat, & deprædicat, à quibus tamen anima fidelis abhorreat, dicens cum Propheta, *oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Pauco tempore ſol veritatis, invidiæ nebulis obſcuratur, ſed tandem erumpit ac *vincit veritas*. Soli deſeruntur, qui vera annuntiant, Pſeudo-prophetas quiſque de vulgo amplectitur, nec mirum cum teſte D. Hieronymo cont. Iovin. *ſemper dulciora Pſeudo-propheta pollicentur*. Dum vota religioſorum, iejunia, confeſſionem &c. Execrantur Calvinus & Lutherus, magnam populi multitudinem ad ſe trahunt, ut muſcas tractas odore culinæ.

Rectè ergò Apoſtolus, veritatis præco gloriatur dicens, ſe neminem circumveniſſe in ſermone adulationis, probè proſpiciens, quod ſi hominibus placeret, Chriſti ſervus non eſſet. Quem ſubſecutus eſt Greg. Nazianſ. apolog. Orat. 1. ubi ait. *Non enim pleriſque ſimiles ſumus, qui veritatis doctrinam adulterant, ac vinum à quâ miſcent, hoc eſt doctrinam cor hominis exhilarantem, cum vili & vulgari, humique ſerpente & evanida, fruſtraque & temerè fluente, ut ipſi ex hac cauponandi ratione obiter aliud elucrentur, aliaque alio modo, cum ijs, qui ad ipſos accedunt,*

 verba

verba faciunt, omnibuſque aſſentantur, ventriloqui ſane quidam & vaniloqui, voluptatibus ſuis ſervientes, verbis è terra prolatis, & in terram peßum euntibus, ut maximam apud vulgus gloriam & nominis celebritatem conſequantur.

Peſſimo huic vitio inſervit avaritia: hæc veritatem vendit unà & iuſtitiam: Unde notat Apoſtolus Pſeudo-Doctores futuros, qui docerent ea, quæ non oportet, turpis lucri gratia: Et à Thimotheo & Tito exigit alibi, nè turpe lucrum ſectentur, nè ſint cupidi &c. Quales verò eos voluit, talem ſeſe exhibuit, dum ad Theſſalon. c. 2. ita ſcribit: *Ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliјs.* En hic veri Doctoris ſpecimen, Verbum veritatis prædicare, non ut hominibus placeas, non ut humanæ laudis favores acquiras, non ut quæſtui ſtudeas, ſed ſolius Dei gloriam & proximi ſalutem promoveas. Quinam tales ſint, non ego, ſed Deus iudicet, & fama ſatis promulgat.

Et hæc fortè eſt aliorum charitas, id eſt adulatio, quæ charitatem ſimulat: cuique enim virtuti ſeſe vitia ſimilare ſtudent. Rem habes in adulatione & charitate. Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, teſte Apoſtolo: talis eſt

&c

& adulatio, omnia ſuſtinet, omnibus aſſentatur & comem ſe exhibet: Charitas omnia credit, omnia ſperat, idem facit & adulatio, & per omnia charitatis ſimiam ſimulata agit, eo magis deteſtanda, quo ſub ſpecie virtutis adeo neceſſariæ ſeſe ingerit & obtrudit. Facili tamen negotio, pretioſum ſecernes a vili, ſi earumdem officia non ſolum, ſed & finem conſideres, quâ ratione virtutes à vitijs ſecernendas alibi nos docet S. Auguſtinus. Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, ut ſoli dilecto placeat: adulatio idem agit, in proprium commodum, quo fit, ut non omnibus promiſcuè comem ſeſe exhibeat, ſed potentibus dumtaxat à ſæculo, viris famoſis, à quibus pinguia expectet. Charitas omnia ſuffert, nè ab amore dilecti ſeparetur: adulatio eadem agit, nè à præſtituto ſibi fine, ad favores perveniendi, diſturbetur. Hâc fortè charitate gloriari poſſunt ij, qui Ignem Fatuum accendunt, eiuſque ductum inſequuntur.

ARTICULUS XVIII.

Quouſque Caſuiſtæ, & Scholaſtici admittendi ſint.

SOlita eſt tua & tui ſimilium querela & exprobratio, Scholaſticos omnes, eorumque ſcientiam ab alijs univerſim proſcribi, quam tamen Sixtus V. *munitiſsimam arcem* nuncupavit & commendavit. Scholaſticam do-

ctrinam

ctrinam univerſim à Sectarijs proſcribi novimus, ut execrandam, neutiquam à Theologo Catholico. Experientia interim jam dudum comprobatum eſt, ſimplicem Chriſtianæ Theologiæ veritatem, Scholaſticorum auſu temerario eſſe adulteratam, quos proindè iure merito condemnant illi, quibus cordi eſt chriſtiana veritas. Conſtat etenim multos è Scholaſticis couſquè docendi ordinem pervertiſſe, ut abdicata ſacri eloquij Authoritate, è quo potiſsimum theologica diſciplina eſt deſumenda, omnia ſua dogmata ad rationis trutinam menſuraverint. Alijs Sanctorum Patrum veſtigijs inſiſtere, nihil minus uſitatum, adeo ut etiam Doctorum omnium aquilam S. Auguſtinum publicè privatimque abiurarint aliqui. Hos autem iure merito condemnandos eſſe, quis neget? illam dumtaxat ſcholaſticam diſciplinam commendavit Sixtus V. quæ profluit *ab uberrimis divinarum litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum & Conciliorum fontibus*, non illam, quæ divinas litteras penitùs relinquit, quæ Sanctos Patres vilipendit & contemnit, quæ denique omnia metaphyſicis tricis conſpurcat. Accedunt & illi Scholaſtici Novatores, qui ſingula Theologiæ puncta ſuis probabilitatibus inficiunt, qui falſiſsima ſophiſticis ſuis ineptijs vera eſſe prætendunt, de quibus utcumque egimus art. 16. Inventa eſt ſcholaſtica diſciplina, ad Scripturas ſacras, & dif-

& difficultates in re Theologica obvenientes, concinno & dilucido ordine diſſolvendas, ubi tamen aliquorum opera in hoc ſolùm collimat, ut rem theologicam de ſe ſatis obſcuram & intricatam, magis intricet, & obſcuret. Præterea illos, qui animo præoccupato iurant in verba magiſtri, ubi Verbum Dei non eſt alligatum, omnia & ſingula veriſsima & tutiſſima arbitrantes, ſi ſuorum magiſtrorum placitis concordent, cætera ablegantes; quo fit, ut nec Authoritate Sanctorum Patrum, nec S. Scripturæ teſtimonijs uti libeat, ſed contenti ſatis, ſi varios Scholaſticos pro ſua opinione poſsint connumerare, quos meritò quis dixerit ſe invicem ſequi ut grues, non diſcuſſâ veritate. Tranſeo & illos, qui in omnibus phantaſmatum ludibriis agitantur, qui verſatilia proferunt in re theologica documenta: nam ut ait de ſimilibus S. Auguſt. l. 6. muſicæ c. 11. *Sequuntur nonnulli phantaſmata ſua tam præcipites, ut nulla ſit alia materies omnium falſarum opinionum, quàm habere phantaſias vel phantaſmata pro cognitis.* Nonnè iure merito hos omnes Scholaſticos & Caſuiſtas ablegandos eſſe dixerim? nonnè hos omnes theologica omnia intricare, & confundere in comperto eſt? inficiabitur fortè ille, qui vel eiuſdem eſt conſcius, vel cuius familiæ ſcriptores omnes ſimilis noxæ ſunt culpabiles. Nemo ergò ſcholaſticam doctrinam culpat, nemo eius utilitatem

negat,

negat, ſed Scholaſticorum quorumdam abuſum accuſat, & ad vera theologica fundamenta eos reduci exoptat & deſiderat. Norunt omnes, plures è ſcholaſticis fuiſſe viros & eruditione conſpicuos, qui debitâ reverentiâ ſanctorum patrum placita ſunt venerati, qui ſcripta ſua ad ſacras litteras, non ad humanæ ſapientiæ regulas menſurarunt. Proprium theologiæ fundamentum intendebant, id eſt Scripturam S. Quæ teſte Apoſtolo *omnis utilis eſt ad docendum*, & ut ait S. Auguſt. l. de bono viduitatis c. 1. *Sancta Scriptura noſtræ doctrinæ regulam figit, quæcumque enim in ea ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Similes ſcholaſticos commendant univerſi, hos legendos mandant, illis, quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo, id eſt ſolida SS. PP. Doctrina. Idem olim ſenſit theologica Facultas Lovanienſis, dum diſcipulis hanc regulam fixit: *ne eam* (theologicam doctrinam) *non ex quibuſvis, ſed probatiſſimis ſcholaſticis, qualis inter cæteros eſt D. Thomas, petendam putent: Deinde, ut nec unam ſolamque ſibi, aut diu nimis colendam exiſtiment, ſed diligenter cum ſcripturarum quoque litterarum, tum veterum quoque, ac in primis B. Auguſtini, qui ſcholaſticæ diſciplinæ quaſi fons & parens fuit, lectionem adiungere nè negligant: periculum alioqui non parvum eſſe, nè peſtiferi errores ex ſcholaſticis nonnullis hauriantur, niſi ex B. Auguſtini officinâ ſalutaribus ſe quiſque antidotis*

dotis præmuniat. Simili ſcholaſticâ eadem facultas ſuos ad gradus varios promovet, quàm numquam aliqui dilacerant, ſed laudant & commendant univerſi.

ARTICULUS XIX.

Quinam Doctores ſcandalum puſillis inferant.

VErè ſcandalum charitati eſt maxime contrarium: *Vbi enim ſcandalum*, inquit mellifluus Bernardus epiſt. 82. *Ibi procul dubio charitatis eſt detrimentum*; Quàm ineptè adverſarios tuos huius criminis reos arguis, cuius vos ipſos culpabiles oſtendis. Una aliorum intentio eſt, quos tamen accuſas, promovere gloriam Dei & ſalutem proximi, veritatem à vobis ſatis impugnatam, propugnare: ſi inde oriatur ſcandalum, quid refert? *melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur* aiunt Gregorius & Bernardus. Simile ſcandalum ipſe Salvator reiecit, dum doctrinâ eius phariſæi quondam ſcandaliſabantur. Scandalum hoc veræ doctrinæ eſt indicium: veræ doctrinæ annuntiatio, huic ſcandalo indivulſe ſubiacet. Scandalum illud doctrina veſtra magis accendit, dum agnitæ veritatis impugnatores magis obfirmatis, & eidem magis reſiſtitis & reſiſtentes fovetis. Vere etenim non Phariſaici, ſed puſillorum ſcandali rei eſtis, qui ſcandala permittitis: dum docere audetis,

quod

quod non ſint mortalis accuſandæ, à Sacramentis non ſint arcendæ fæminæ illæ, quæ laſcivo ornatu iuxta corruptum patriæ morem in publicum prodeunt, quarum ſcandala, peſſimâ hâc doctrinâ fovetis & inflammatis dum docetis, poſſe famulum ſubmiſſis humeris adiuvare herum, ad ſtuprandam virginem per feneſtram adſcendere, & id genus plurima, ex quibus non phariſaica, ſed verè puſillorum ſcandala in Eccleſia Dei oriri eſt manifeſtum. Hæc ſcandala curate, quæ intellexit Pontifex modernus ex doctrina veſtra (*Veſtra* dico & mox probabo.) Quam ut ſcandaloſam Pontificio ſuo fulmine perſtrinxit.

Verum, quæ tua aliorum ſcandali probatio. Quod *Bullam Innocentij XI. laxiores quaſdam ſententias condemnantem latino idiomate, ut ſolet, in ſcholis circumferri*, illis non ſuffecerit, *debuit & illa flandricè, ſed minùs fideliter tranſlata imprimi, ut in omnium monialium & mulierculárum manibus verſaretur. Hæc faciendo,* ais, *eligunt miniſtros ſcandali magis eſſe. quàm pacis*: Occaſionem præbent, ut iſtas laxitates in praxim deducant illi, quibus perſuadent illas à tot Adverſarijs, quos impetunt, doceri. Hæc tua accuſatio ſcandali, ſed falſa. Non hæc ſcandaliſant fideles, ſed viam veritatis demonſtrant, ſcandaloſa dogmata, aliorum fraudes & technas, quibus hucuſquè erant circumventi, oſtendunt. An hæc ſcandaloſa, ſcandala

cavenda demonſtrare ? opportunum verò remedium, bullam illam flandrico idiomate imprimi, & perquàm fideliter, ut aliorum fraudes, à Summo Eccleſiæ Præſule detectæ & dejectæ, ab omnibus notarentur & vitari poſſent; ut cernerent, quamdiu blandiloquis aliquorum ſermonibus viam veritatis deſeruerint; & cæcos magiſtros tandem à cæcitate illuminati, declinarent, nè ambo in foveam caderent. Porrò quam felici exitu, quotidie audiunt univerſi, dum uno ore liberè profitentur, ſe gaudere tot magiſtrorum ſuorum fraudes eſſe detectas, ſe numquam hactenus credidiſſe, tam abſurda dogmata ab alijs fuiſſe edocta, niſi Pontificia Authoritate id didiciſſent. Aliorum enim teſtificatio illis erat nimium ſuſpecta, eorum fidem infringente magiſtrorum ſuorum perfidiâ, qui docent, aliquorum famam ſibi noxiam licitum eſſe falſo crimine elidere. Docere ergò ignorantes, illos de tenebris ad lucem reducere, ſcandalum reputas ?

Sed quid de impreſſione flandrica incuſas prædictos Authores ? fortè, quod veſtræ ex illa latius pateat doctrinæ perverſitas ? non eſt, quod de eo quærelas texas, conqueri te oporteat, de varijs conſcientiæ ſcriptis, gallicè & flandricè ab alijs conſcriptis, quæ quotidie non ſine magno fidelium ſcandalo omnium manibus teruntur, inter quæ ſummam facilè tenet

Summa peccatorum, verius dixeris ſcandalorum, à P. Baunio gallicè conſcripta: de his & ſimilibus ſcandaloſis oportet conqueri.

Nec quidquam obeſt, ſed maxime iuvat, monialium & aliarum manibus illa teri, quæ damnata ſunt, quarum Conſcientia probabilitatibus veſtris infinitis undique conſtricta, Pontificiæ Conſtitutioni jam demum novit acquieſcere. Certe, quantopere ſimilium Conſcientiæ, ancipiti veſtrâ Doctrinâ hactenus fuerint intricatæ, quod exinde difficultates in earumdem regimine expertæ ſint, norunt illi, qui earumdem curam gerunt. Non hæc ergo ſunt ſcandaloſa, ſed devotas docere maximè arcana fidei myſteria, v. g. de gratia, de prædeſtinatione materiam; docere illas, quinam ſunt Ianſeniſtæ, illi ſcilicet, qui rigidiori diſciplina pœnitentes recipiunt, ubi tamen Ianſenius de Pænitentiæ tribunali, nè verbo muſſitavit; illis cæteros viros & eruditione & ſanctitate conſpicuos traducere, ut ſtolidos & ſcandaloſos; hæc ſcandaloſa reputa, & emenda.

Sed nonnè Charitatis maxima violatio, quod religioſos aliqui à prædicatione verbi Dei amovere vellent? qui ſimilia velint, optimo Charitatis iure id volent. Prædicatoris munus primario ad Epiſcopum ſpectat, cuius vicarij ſunt Parochi in ſeminatione verbi divini, ad hos ſpectat proprio iure paſcere gregem verbo Dei, alij ſi qui admittantur, in defectum prioris, ejusdemque

ejuſdemque ſubſidium admiſſi ſunt: Unde ſi Parochus proprio labore ſubditis velit verbum Dei prædicare, nihil ſubſidio eſt opus. Ovium ſanguis de manibus Parochi, non religioſorum exquiretur, niſi fortè perverſa Doctrina eas ſeducant. Adde, quod ſæpe aliorum dogmata, Doctrinæ Parochorum ſint contraria, Unde lites, ſeditiones & ſcandala, quæ omnia amovere omni labore & induſtria, ad Parochum ſpectat. Denique finis aliorum ſubinde eſt ſatis inordinatus, dum aliorum cathedras appetunt, non ut proximi ſalutem & Dei gloriam promoveant, ſed ut pauperes eleëmoſynis gravent, & quæſtum venentur: qua importunitate, etiam aliquando, contra Epiſcoporum beneplacita, alibi circuire novimus. Hæc certe ſigna amoris, ſed proprij.

Enimvero quam benè conveniunt Charitas & irriſio & exprobratio. Novimus quos notas fol. 43. & operis textrini accuſas, & quibus hoc vertis in ſcandalum, quod illis cedit in gloriam. Attendè, quomodo Doctor Doctorum Apoſtolus Paulus ſcenofactoriâ arte victum ſibi compararit, ut liberius poſſet enuntiare verbum Dei: hinc ejuſdem gloriatio: *Memores eſtote Fratres laboris noſtri & fatigationis: Nocte ac die laborantes, nè quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.* 1. Theſ. 2. & rurſum: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione;*

 tione;

tione, nocte & die operantes, nè quem veſtrum gravaremus. 2. Theſſ. 3. & iterum: *Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ: omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Act.20. Huius exemplo religioſi veteres labore manuum victum & amictum ſibi comparabant, colonias incolebant, quibus quoque ſeverior & melior erat diſciplina, ſcientes, quod nihil ita Doctrinæ Chriſtianæ puritatem impediat, quam quæſtus gratia prædicare. Dum favores ſperat prædicator, aut plebem offendere reformidat, facilè veritatem deſerit & adulationibus indulget. Hos illi, quos iniurioſe carpis, imitati ſunt, etſi ab officio Marthæ, ad optimam Mariæ partem tranſlati Deo & Patriæ gratias agunt, quod liberius Deo & proximo poſsint inſervire, ſolidiori ſtudio incumbere & cætera eccleſiaſtica munia poſsint liberius exequi. Vides quo tuus te ducat Ignis Fatuus? Vides quomodo Doctori melius ſit labore manuum ſibi providere, quàm adulando veritatem vendere & libertatem?

Sed quam ſimulatam impoſturam annectis in fine, qua ſimulate garris, politico regimini aliorum dogmata eſſe pernicioſa? norunt politici Chriſtiani, quibus ſinceritas cordi eſt, quo

artificio

artificio ex officina veſtra orto, quæcumq; iura & iuramenta poſſint eludi: Norunt illi, quomodo iuxta maximas veſtras, nihil iuſtitiæ inviolatum, quomodo omnia jam liceant, quæ quibusvis lubent. Si enim liceat iuramenta eludere, adhibito reſtrictionis mentalis artificio, ſi liceat nummis ad dignitates evehi, quod leges inhibent, quæ tandem æquitas ſervari poterit? ſi iudex ſententiam ferre poſſit iuxta ſententiam minus probabilem, nonnè iuſtitia vertitur in iniuriam? quis ergo neget illos optimè de Republica mereri, qui libero ore talibus Reipublicæ perniciofis Doctrinis obviant, nè ulterius in Reipublicæ perniciē proſerpant? neque ideo malè de regijs miniſtris ſuſpicantur illi, ſed noxia oſtendunt, quæ alij proponunt documenta, nè eadem amplectentur & cum maximo Reipublicæ damno in praxim tutò deducant, dum tales nanciſcuntur ſubinde magiſtros. Norunt hoc omnes politici Chriſtiani.

ARTICULUS XX.

Quinam ſint Authores Propoſitionum ab Innocentio XI. damnatarum.

QUam mendaciter effutis, in bulla dicta doceri peccata, quæ numquam belgium audivit, & adhuc minus docuit? & rurſum, adverſarios tuos affingere alijs dogmata & propoſitiones à ſede Apoſtolica damnatas, quorum

rum ipſi Authores & Profeſſores ſunt, &c. Recte quidem belgium appellas, cur non & galliam &. totum orbem? de belgio teſtari poſſum, quod vidimus & audivimus. Nonne novit & indignatum fuit belgium, audita veſtra demonſtroſa probabilitate doctrina? non fuit indignatum de dogmate illo, quod totis viribus attentaſtis hucuſque confirmare, proximum non eſſe diligendum actu interno, filium gaudere poſſe de morte patris, licitas eſſe reſtrictiones mentales, in iuramentis, contractibus &c. Licere procurare abortum ob periculum infamiæ, compenſationem occultam, detractionem, & alia abſurda jam condemnata? norunt Bruxellæ, Antverpia, Lovanium & aliæ belgicæ civitates, quantis conatibus eadem adſtruere conati ſitis, quantis convitijs contraria ſuſtinentes impetiviſtis: adeo ut Bruxellis & Antverpiæ coniuraſtis, numquam ad adverſariorum theſes vos acceſſuros, ea ſolum ratione, quod anathematiſatæ veſtræ doctrinæ eſſent ex diametro contrariæ, quo fundamento, iam oſtendit Eccleſia. Si certe aliorum parti, pax & concordia non magis cordi forent, quam vobis, iure merito pernicioſam veſtram doctrinam plenius toto orbe propalaret, omnibuſque manifeſtam faceret, quos tamen maledicto Cham inepte & iniurioſe aſſimilare non vereris. Nè tamen ulterius improperes & texes excuſationes in peccatis,

catis, addam Authores Propoſitionum damnatarum, excerptarum, vel ex eorum libris, vel theſibus. Sed quænam illa excuſatio? quod Lovanienſes ipſi earumdem ſint authores, quod nuperrime litteræ illæ *ruderales* inſinuarunt: quod ſolum proſcriptæ ſint *pro nunc*, & *prout jacent*, & aliæ miſerabiles excuſationes.

Quod ad primum attinet, notum eſt toti mundo, quanto conatu dictis condemnatis obſtiterit S. Facultas Lovanienſis, dum varias ex illis ad verbum uſque, cenſuravit eaſdem, annis abhinc pluſquam 20. Notum quoque eſt, quo conatu eximius D. Sinnich in ſuo Saule, pleroſque condemnatos articulos feriat, & ex SS. Patrum & rationis authoritate, proſcribendos eſſe doceat. Notum denique eſt, qua ſedulitate eorumdem proſcriptionem & anathematiſationem promoverit, & quam feliciter impetrarit, idque in bonum totius Eccleſiæ. Opponent fortaſſe eadem aliquando à membris Academiæ Lovanienſis fuiſſe edocta: certe nullum à viginti annis id docuiſſe teſtari potuit prædicta *ruderalis* epiſtola. Deinde, varij varios articulos quidem docuerunt, ſed diſputando, qualiter in alterutram partem exercitij gratia aliquando defenditur, quod tamen neutiquam approbatur. Denique Lovanienſes alij, qui ſimilia docuerunt, matri ſuæ fuerunt degeneres filij, & ut ſerpentes filij

matrem aliquando enecare conati ſunt,& eam, quæ illos genuerat, dereliquerunt. Adde,quod aliorum error, aliorum perverſa dogmata non excuſet.

Æquè miſera eſt ſequens excuſatio, qua prætendunt ſolum *pro nunc*, & *prout jacent* eadem ab Eccleſia condemnari; quaſi vero, illa, quæ modò ſcandaloſa ſunt, & in praxi perniciosa, poſtea fieri poſſunt licita & admitti ut bona. Semper ergo verum erit, *pro nunc* illa proſcribi, quæ incommutabilis veritas *pro nunc* ſemel proſcripſit ut ſcandaloſa & in praxi perniciosa. Quid porro innuit; illud *prout jacent*? Indè cauſantur illa non proſcribi, quæ ad amuſſim & verbotenus cum illis non concordant, magis intenti verbis, quam doctrinæ, quam continent. Nec enim verba, ſed doctrinam verbis contentam damnavit Eccleſia. Nè tamen ſit ulla evaſioni huiuſmodi occaſio, lubet adijcere illos, qui verbotenus eadem damnata docuerunt.

Lubet adijcere illos, qui vel in terminis, vel in ſubſtantiâ, eadem damnata docuerunt,nè de cætero prætendant excuſationes in peccatis, *neque ego illis, ſed cauſa cauſæ reſpondet*, ut ad S. Auguſt. epiſt. 21. l. 1. ait Hieronymus; unde, *Si culpa eſt reſpondiſſe, quaſo, ut patienter audiant, multo maior eſt, provocaſſe.*

1. Non eſt illicitum in Sacramentis confe-	1. Propoſitionem in ipſis terminis docuit,

P.

rendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum grauis damni incurrēdi. Hinc ſentētia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

P. Ignatius Mailliot, Soc. Ieſu, in theſibus Antverpiæ defenſis 1673. theſi 15. defendente R. D. Ioan. Walteri Minderhoutano: theſes certè probabilitatibus onuſtiſſimæ, & cuiuſvis probabilitatis patronæ.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

2. Docuit Ioan. Sanchez in ſelect. diſp. diſp. 44. num. 5. Diana in compendio 12. Partium V. *Index*, numero 12. à Caſtro Palao citatus, & alij plurimi. Opportunum iuſtitiæ violandæ remedium.

3. Generatim dum probabilitate, ſiuè intrinſeca, ſiuè extrinſeca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudentèr agimus.

3. In ipſis terminis docuit Thomas Tamburinus Soc. Ieſu, in decal. l. 1. c. 3. §. 3. Cæterarum probabilitatum & errorum matrem & fundamentum.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

4. In terminis docuit Ioan. Sanchez in ſelect. diſp. diſp. 19. num 7. Quis iuxta hanc reus erit infidelis?

5. An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei ſemèl tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

5. In terminis docuit P. Arnoldus Marchant Minorita, in theſibus de fide, ſpe & charitate Antverpiæ defenſis 1674. 16. April. Theſi 24. Quæ ſententia peſſimè de charitate meretur.

6. Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigorosè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis ergà Deum.

6. In terminis ex Filliucio docet Eſcobar Soc. Ieſu tract. 5. theol. mor. exam. 4. num. 8. Et à fortiori, qui priorem docent, cum ſit eiuſdem filia, charitati inimica.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari; & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.

7. In terminis ex Aſorio Soc. Ieſu docet Thomas Tamburinus l. 2. in decal. c. 1. §. 2. Prioribus non longè diſpar.

8. Comedere, & bi-

8. In terminis docent Ioan.

bere uſq;ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximũ diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Ioan. Sancius & Eſcobar Soc. Ieſu tract. 2. exam. 2. num. 102. Nonnè præcipuum ex epicuræorum ſcholâ eſt dogma?

9. Docet Ioan. Sancius in ſelect. diſp. diſp. 23. num 25. & Diana 3. parte. tract. 4. reſol. 2. 16. Quibus nuperrime maxima contentione ſeſe aggregavit P. Arſdekin ex Soc. Ieſu in ſua theol. trip. p. 3. tract. 1. de opin. prob. q. 8. Sententia SS. Patribus, & maxime S. Auguſtino ex diametro contraria.

10 & 11. Tot habent ex Societate, Minoritis & alijs eorum ſequacibus theologi, ut ſint pænè innumeri. Novit belgium, quo conatu hanc tueri & confirmare ſategerint,

in

in obſequium P. Herinx. Videri ſolum poterunt theſes P. Van Vucht Antverpiæ defenſæ 1677. Theſi 10. Quibus eamdem ſententiam falſo alijs affricat.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiàm in Regibus ſuperfluū ſtatui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

12. In terminis docet Gabriel Vaſquez Soc. Ieſu opuſc. de eleëmoſyna c. 1. & 4. Dignus qui à pauperibus vapulet.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

13. In terminis docet Caſtro Palao Soc. Ieſu tom. 1. tract. 6. diſp. 4. de charit. p. 1. num. 11. Digna invidiâ ſententia.

14. Licitum eſt ab-

14. & 15. Videri poteſt

ſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.

teſt Fagundez in decalogum. Decimam quartam docet Gaſpar Hurtadus Ieſuita apud Dianam part. 5. tract. 13. Reſol. 99.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

16. In terminis docet Thomas Tamburinus l. 2. in decal. c. 1. §. 1. num. 9. & 10. Fidei verè eluſiva opinio.

17. Satìs eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

17. Docet idem eodem libro, eodem capite, §. eodem, num. 8. Priori affinis.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt pecca-

18. In terminis docet P. Marchant in theſibus de fide ſpe & charitate, Antverpiæ defenſis 16. April. theſi 14. Docuit & P. Antonius

minoſum per ſe non damno.

tonius à Burgundia Ieſuita in theſibus Lovanij defenſis anno 1668. 24. Iulij theſi 21. Quem Deus erubeſcit & condemnat, iſte eſt, qui iuſtificat eumdem.

19. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

19. & 20. Docet idem in eiſdem theſibus theſi 11. Et P. Eſtrix Soc. Ieſu in diatriba pag. 70. 86. & 87. Fortior certe eſt divinæ gratiæ impulſus, quam pondus rationum, neque prudenter reijcitur, quod Spiritus S. procurat.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, nè non ſit locutus Deus.

21. Docet idem P. Eſtrix fol. 85.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate

22. Docet idem P. Marchant theſibus dictis theſi 12.

medij, non autem explicita Remuneratoris

23. Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimilivè motivo ad iuſtificationē ſufficit.

23. Docet idem ibidem theſi eadem. Et P. Eſtrix in particulari tractatu ea de re edito, uti & ſæpè alibi uti & P. à Burgundia in theſibus anno 1668. Lovanii defenſis 24. Iul.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacij levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſsit damnare hominem.

24. Docet P. Baunius è Soc. Ieſu ſummæ pecc. fol. 95. edit. 5. conijce, quâ pœnâ dignus ſit, qui primam veritatem facit mendacii participem.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiuè interrogatus, ſiuè propria ſponte, ſiuè recreationis cauſa, ſiuè quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis

26. In terminis docet Thomas Sanchez Soc. Ieſu l. 3. ſummæ c. 6. num. 15.

aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.

27. In terminis docet idem loco citato, num. 19.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

28. Docet P. Leſsius Soc. Ieſu l. 2. de iure & iuſt. c. 42. dub. 9. num. 48. quæ ſingulæ ſocietatis & fidelitatis humanæ ſunt everſivæ.

29.

29. Vrgens metus gravis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

29. In terminis docet Eſcobar Soc. Ieſu theol. mor. tom. 1. l. 1. ſect. 11. c. 7. problem. 24. quoad aliqua verò Sacramenta, idem admittit Ioan. Sanch. in ſelect. diſp. 35. num. 7.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactã alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

30. Docet Bonacina, & alii apud Eſcobar tract. 1. nu. 48. exam. 7. quam in praxi probabilem & tutam cenſent Henriquez l. 4. cap. 10. num. 3. & alii apud Eſcobar.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

31. Docet Eſcobar Soc. Ieſu tract. 1. exam. 7. n. 44. Molina tom. 4. de iure & iuſt. tract. 3. dub. 16.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſsidemus, ſed etiam ad quæ ius in-

32. & 33. In terminis docet Amicus Soc. Ieſu tract. de jure & juſt. diſp. 36. ſect. 8. num. 130. edit. Duac. 1642.

choatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe talitèr defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contrà eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

34. Docent apud Dianam V. *abortus* Torreblanca, Bordonus, Leſſana & Trullench.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere anima rationali & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac conſequentèr dicendum erit in nullo abortu

35. Docet in terminis Caramuel, in theol. fundam. num. 1163. quàm bene concordant præcepto, *non occides*?

homicidiũ committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſsitate, ſed etiam in graui.

36. Docent Tamburinus lib. 8. tr. 4. cap. 1. §. 9. n. 9. qui ſententiam illam iam communẽ appellat. Illam etiã probabilem, adeoq; & ſecundùm ipſius principia tutam, dicit P. Arſdekin part. 3. tract. 1. quæſt. 9. item Leſsius, Eſcobarius & alii.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

37. Baunius ſummæ pecc. pag. 213. edit. 6.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

38. Idem pag. 220. de quo vide Saulem Exregé pag. 525. eandem probabilem dicit P. Arſdekin ſuprà.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum graue dam-

39. Docet idem pag. 307. & 308. de quo vide etiam Saulem fol. 528.

num tertio non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatræ licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

42. Uſura non eſt dum ultrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defēdat. Et ſi hoc non

528. Opinio furibus perquam accommoda.

40. Docet apud Eſcobar tract. 3. theol. mor. exam. 3. num. 36. c. 6. Ioannes Salas Soc. Ieſu tract. de empt. dub. 37. num. 4.

42. Docet Eſcobar tract. 3. theol. mor. exam. 5. c. 1. num. 3. & 5. 4. num. 33. citans quoque Molinam tom. 2. diſp. 305. num. 6. Vide Dianam V. *Uſura* num. 14. Pallium uſuræ perquam aptum.

43. Docuerunt in terminis theſes PP. Societ. Lovanij defenſæ 1645.

44. In terminis docet Caramuel theol. fund. pag. 550. num. 1151. Quid aliud vult detractio?

ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquàm motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contrà.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

45. & 46. Docent Tannerus tom. 3. diſp. 5. q. 8. dub. 3. num. 64. Et Greg. à Valentia uterque Soc. Ieſu; tom. 3. diſp. 6. q. 16. De ſimonia puncto 3. p. 1802.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui

47. In terminis docuit Thom. Tamburinus l. 8. in decal. c. 4. §. 4. num. 7. Egregius Tridentini interpres.

niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligẽdorum ſumpto comparativo pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam

48. & 49. Docuit Caramuel, de quo agit Saul Exrex agendo de præcepto, *non Mœchaberis*.

non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cùm coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herũ ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidẽ ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuã, aut quid ſimile coöperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obli-

50. Illam docuerunt tempore Archiepiſcopi Mechlinienſis, ad cuius inſtantiam eam cenſuravit Facultas Theologica Lovanienſis anno 1653.

51. Docet Tamburinus l. 5. in decal. c. 1. §. 4. num. 19. Et apud Dianam V. *Peccatum* num. 21. Hurtadus & alij nonnè ij ſcandalum docent?

52. Illam cenſuravit ad inſtantiam ejuſdem

 Archiepiſcopi

gat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

Archiepiſcopi eadem S. Facultas Lovanienſis.

53. Docet Leander Diſc. tract. 2. de audit. miſſæ, diſp. 1. q. 56. & 57. Et apud ipſum Eſcobar, Baunius Hurtado è. Soc. Ieſu, Bonacina.

54. In terminis docet Caſtro Palao diſp. 2. p. 6. Et Diana V *horæ canonicæ* in compendio 12. Partium, citans Leſſium & alios 8.

55. Docent è Societate, Suarez, Vaſquez, Fagundez, Filliucius, Sa, Coninck, Card. de Lugo, Tamburinus, Buſenbaus, Henriquez, Granado, Diſcaſtillo, P. Eſtrix, Azorius, Trullench, Tannerus, Reginaldus & alij plurimi, è Minoritis P. Herinx, Marchant in dictis theſibus,

ſibus, theſi 15. Et alij plurimi. Imo Patres Societatis in theſibus Lovanij defenſis anno 1676. 20. Iunij defenderunt quod etiam præcepto divino ſatisfiat per ſacrilegam communionem.

56. Frequens Confeſſio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

56. Apertè eam docuerunt PP. Minoritæ in theſibus Leodij defenſis 1676. Quas Namurci pro ſuo merito defendi inhibuerat Epiſcopus Namurcenſis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

57. Eam in terminis defenderunt PP. Societ. in theſibus Claromontanis 23. Martij & 6. Iunij 1643. Et 1644. In Auguſto. Eam quoque docet Filliucius Soc. Ieſu tom. 1. qq. mor. tract. 7. c. 6. Eſcobar tract. 7. De Sacram. exam. 4. de pœn. num. 39.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

58. Docet Ioan. Sanchez in ſelect. diſp. 9. num. 6. Item Caramuel in lib. S. Bern. De præcepto & diſp. Baunius tract. 4. de pœnit. q. 15. pag. 137. Et alij apud Dianam V. *Circumſtantia* num. 10. Et alij plurimi.

59. Licet ſacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

59. Docuerunt tempore illuſtriſſ. D. Iac. Boonen Arch. Mechl. PP. Societatis, ut patet ex litteris eiuſdem datis ad eminentiſſ. DD. Cardinales.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, &

60. Docet Baunius Soc. Ieſu tract. 4. de pœnit. q. 22. pag. 100. Idem docet eodem tractatu pag. 94. Damnatam ordine 63.

proponere emendationem.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quandò cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

62. Docet P. Iacops Ieſuita prout patet ex propoſitione ab Epiſcopo Atrebatenſi damnata, pro qua & alios citat præcipuè Lugonem.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro vel proximi.

63. Illam docuit P. Baunius ſupra ad propoſ. 60. Citatus, qui & alios citat.

64. Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilē neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

64. Illam docuerunt tempore illuſt. D. Boone & cenſurata eſt à S. Facultate Lovanienſi ad eius inſtantiam anno 1653.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Ultimam docuit in terminis Tamburinus Soc. Ieſu Meth. expeditæ confeſſ. l. 3. c. 5. §. 1.

§. 1. num. 3. & l. 2. in decal. c. 1. §. 1. num. 3.

Ecce, qui ſententias ab Eccleſia condemnatas tradiderunt, illis eas adſcribimus, & nominamus, nè evaſioni veſtræ & inani excuſationi ſit locus. Erit fortè occaſio pauciſſimas omiſſas alijs coniungendi, ubi maior librorum copia mihi ad manum erit. Si tamen ſit qui objiciat, multas à prædictis in ſolis theſibus diſputativè fuiſſe traditas, prout ante de DD. Lovanienſibus idem attigimus: imo Caramuelem fuiſſe Academiæ Lovanienſis Doctorem Theologum: Repono fuiſſe quidem varias in theſibus traditas, ſed quod eaſdem diſputative dumtaxat tradiderint, credat, qui volet; nos, qui quondam teſtes fuimus, & quæ vidimus, & audivimus, loquimur & dicimus quod pro eiſdem decertaverint, uti pro aris & focis, quod contra ſentientes iniurioſe traduxerint, eos indigitando *Ianſeniſtas, Baianos &c.* Timeo vero, nè & agnitam veritatem oppugnarint, obnubilante Igne Fatuo eorumdem intellectum.

De Caramuele verò, ſatis ſuperque inſinuavimus, cuius farinæ ſit Doctor, prout & plurimis toti mundo demonſtravit Exim. D. Sinnich in ſuo Saule.

Prædictas ergo omnes opiniones de manu Eccleſiæ recipimus prono obſequio, ut anathematizatas, in praxi pernicioſas & ſcandaloſas;

ſas;

ſas: in his condemnandis infallibilem agnoſcimus Pontificem, uti & in omnibus alijs, non tantum in approbanda doctrina S. Auguſtini, ut ineptè garris; agnoſcimus infallibilem in condemnandis articulis Ianſenio adſcriptis, uti etiam in condemnandâ diatribâ P. Eſtrix, Honorato Fabro &c. Et omnibus eius decretis, quæ utPontifex definit, nos planè ſubmittimus. Fortè quos ſolidâ veritate vincere deſperas, contumelioſa falſitate aggrederis, conformando te ſententiæ damnatæ ordine 43. & 44. Gaudemus interim apud veritatem rem agi.

Quam recte ergo tibi fatui ignis authori quadrat, quod olim S. Auguſt. Epiſt. 50. Inuſſit Lucifero Calaritano, dum dit: *In tenebras cecidit..... Amiſſo lumine charitatis?* verè etenim, ſi lumen in te eſt, ex fatuo igne accenſum, tenebræ ſint, uti vidimus: ipſæ tenebræ quantæ erunt? nec enim alia ex fatuo igne expectanda ſunt, *ſtultus enim in tenebris ambulat.* Eccl. 4. Caligini ergo tuæ qua obnubilaris, deputo, quidquid fatuo igne ſtolidè alijs affricaſti, niſi fortè arrogantia hic foret ſocia. *Arrogantes enim viri habere hoc proprium ſolent, ut dum nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur: & cum non poſſint reprehendere iuſta, quæ ſunt: reprehendunt mentiendo, quæ non ſunt*, ait S. Greg. in Iob. c. 35. l. 26. c. 7.

Tu qui hæc legis, ex ſincero charitatis ſtudio dicta eſſe conſidera, nè error cui non reſi-

ſtitur,

ſtitur, approbetur, & veritas, cum minimè defenditur, opprimatur. Charitas enim urget nos, nè eam impugnatam ignavo ſilentio opprimi permittamus: veritas cogit nos, ut eamdem vindicemus, dum traducitur. Acquieſce ergo Sermonibus Ieſu Chriſti, Apoſtoli, SS. Patrum, & rationis, quorum teſtimonio charitatis neceſſitas à nobis eſt comprobata. Cavete ductum fatui ignis, à ſiliceo genio & zelo accenſi, nè in foveam vos præcipitet, rogans de cætero Authorem huius ignis, *ſit manus tua ſuper os tuum, nè* de cætero *capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris*: Eccl. 5. *Stultus enim etiam cum tacuerit, ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.*

FINIS.

V. & A. I. V. C. L. C.

Digitized by Google